


ORATIO

DE

SOCRATE CIVE.

IOANNIS LUZAC
ORATIO
DE
SOCRATE CIVE,

publice habita,

Die 21. *Februarii* MDCCXCV.

quum Magistratu Academico abiret.

PROBATIONES & ADNOTATIONES DE SOCRATE *ac* DE REPUBLICA ATTICA,

praesertim DISQUISITIO DE EPISTATIS AC PROEDRIS ATHENIENSIUM, ET DE SOCRATE EPISTATE,

ad calcem adjectae reperiuntur.

Quod quidem Socrates quia facere tentavit, in carcerem conjectus est, ut jam tunc adpareret, quid esset futurum iis hominibus, qui justitiam veram defendere coepissent.

LACTANT. *Div. Inst.* Lib. V. Cap. 19.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD A. ET J. HONKOOP,
MDCCXCVI.

VIRO ILLUSTRI,

IOANNI ADAMS,

FOEDERATAE, QUAE IN AMERICA EST AD SEPTENTRIONEM, REIPUBLICAE PRAESIDIS VICES GERENTI ET UNIVERSI SENATUS EPISTATAE,

AMICO INTEGERRIMO,

S. P.

IOANNES LUZAC.

Quoties ego, ADAMI, *Vir & ingenio & muneribus clarissime, in memoriam actae mihi vitae redeo, & recordatione fruor amicitiae, qua sive voluntatem meam erga omnes bonos, sive studium in Patriam veramque Libertatem, Legibus fundatam, digna censebant Viri & in nostrâ Republicâ & in aliis quoque regionibus primarii; toties (fatebor enim) nec vixisse poenitet, neque in ea tandem delapsum tempora, quibus a coetu & fre-*

*

quen-

quentiâ hominum in solitudinem, tanquam in portum, me recipere voluptas est. Inter illos autem Viros nemo facile est, cujus & saepius & jucundius in mentem recurrat imago quam illius, cui fortunata Americanorum Respublica & primordia defensae ac stabilitae Libertatis, & praesentem rerum suarum felicitatem, inter paucos debet. Quin &, si aliquid nonnunquam superbiae, imbecillitate naturae, animum subeat, illud est, me & tibi familiarem fuisse, & principibus in AMERICA *vestra Viris non incognitum, qui, ut publico documento id testarentur, Te potissimum auctore & suasore, me illi adscripserunt* BOSTONIANAE *Societati, cujus Sodales sunt & Consortes quicunque, tum apud vos, tum in nonnullis quoque Europae partibus, aut doctrinâ insignes sunt, aut meritis in constituendam vestram Civitatem nobiles. Igitur, quando, quo ego id vestrum beneficium animo acceperim, testari neglexerim nimis diu, praesentem mihi arripiendam occasionem putavi, ut gratissimum me vobis publice ostenderem. Certe, si qui Solonis fuisset familiaris aut Zaleuci, a nobis, quotquot Libertatem amamus cum virtute & sapientiâ conjunctam,*

vir probus fuisse, & in universum genus humanum benevolus, haberetur; tam mihi non est superstitiosa Antiquitatis veneratio, ut me Tibi arctissimo sincerae amicitiae vinculo conjunctum gloriari non ausim; Tibi, quem MASSACHUSETORUM *Civitas Legibus suis scribendis adhibuit Nomothetarum praecipuum; Tibi, haud infimo sapientissimorum illius Foederis inter Socias Civitates auctorum, cujus Foederis uberrimos laetissimosque fructus, ab eo inde tempore, percipiunt Cives: Tale quippe hoc Foedus est, quo omnia, quae ad conservandas, firmandas, augendas vires communes faciant, ullove modo facere possint, conferre tenentur Socii; quo, si qui officiis ad salutem universorum necessariis fungi detrectent differantve, remedia praescripta sunt & parata, ut ad praestandam fidem, inviti etiam, revocentur; quo neque omnibus Sociis, seu regionum magnitudine, aut divitiis ac numero Civium praevaleant, seu tractu, opibus, & incolis sint caeteris minores, idem jus est, eadem facultas, eadem vis suffragii, neque tamen una alterave Civitas praepotentior in sorores immodice dominari queat; secundum quam denique Pacti legem unus est supremus*

Foederatorum Senatus, una Delegatorum Concio, unum AErarium, una erga exteras Nationes potentia & voluntas: Et ſingulis tamen Sociis ſalva in rebus ſuae Civitatis manet ſumma auctoritas, ſalva Jura & Tribunalia, ſalva Legum ferendarum poteſtas, ſalva Tributa & Vectigalia, ſalva (uno verbo) omnia, quae ad robur, ad firmitatem, ad externum etiam decus Sociatae Reipublicae, neceſſario non erant abdicanda. — Sic vos, ſic WASHINGTONUS *veſter, quem Virum ego Leonidis, Epaminondis, Timoleontibus, Fabiis, Scipionibus, Marcellis, non aequiparare, ſed longe me praeferre palam profiteor, quippe in quo Viro & Themiſtoclis illa virtus militaris, & Ariſtidis juſtitia, & Curii moderatio, & Catonis conſtantia, & Solonis, in componendis Civium diſcordiis tractandisque animis, dexteritas, & mitis ſapientia Laelî conjuncta reperiantur; — ſic vos, ſic Tu inprimis, prudentiſſime* ADAMI, *illa refugiſtis & feliciter evitaſtis Foederatae Civitatis vitia, quibus Patria noſtra per ducentos annos miſere huc & illuc jactata, quaſſata, tandemque in ultimam perniciem acta eſt; ſimulque caviſtis, ne immoderata & nimia*

mia unius Reip. moles (quod ſerius ocyus fieri, per rerum naturam, neceſſe eſt) in varias ac diſcordes dilabatur Factionum partes, aut in unius, nullis limitibus circumſcriptam, deveniat poteſtatem.

Quod ſi tum univerſam veſtram AMERICAM, *tum ſingulas ejus partes ſpectemus, illas reperiemus, ubi ſaluberrimo temperamento Libertatem Populi Leges tuentur, ſed & eaedem moderantur; ubi Civium ad Comitia Delegatorum voluntas cum auctoritate Praeſidis ac Senatûs placide conſpirat, neque uni ſine alterâ quidquam juris eſt aut poteſtatis; illas denique, in quibus, quando,* ſi lubido dominatur, innocentiae leve praeſidium eſt, *atque*, ubi juſtitia non eſt, nec jus poteſt eſſe, — jura (*ut* CICERONIS *utar verbis*) non dicuntur neque putantur iniqua hominum conſtituta, falſumque habetur, quod a quibusdam non recte ſentientibus dici ſolet, id jus eſſe, quod ei, qui plus poteſt, utile eſt.

Et quibus iterum tam ſingularem fortunam veſtri Cives debent? Tibi, ADAMI, *&* BOWDOINO, *&* JEFFERSONO, *& aliis Tui ſimilibus, quorum dum nomina ſaepius memoriâ recolo, gratus memini, a talibus me*

tantisque Viris, dum ad me inviserent, fuisse invitatum, & tantum non adductum, qui liberae vestrae Reip. Civis adscriberer, vestrâ omnium intimâ admissione usurus; quod si ante hoc octennium fecissem ...... Sed quid ego Tecum de nostris Batavorum, per sedecim admodum annos, temporibus atque fatis? Isti quidem in malos & improbos Cives indignationi, istis expostulationibus (quae futuri forte temporis aliquando erunt curae) hic non est locus: Tuus in me narrandus est animus, tua de me exspectatio, qui, cum summum in me videres justae ac moderatae Libertatis amorem, censeresque excitari illum atque ali tum studio Legum Naturalium atque Civilium, tum adsiduâ Graecorum Latinorumque Historicorum, Oratorum, Philosophorum lectione, Filium tuum natu maximum fidei meae ac disciplinae, in Europâ relictum, cupiebas committere, dum Tu, post obitas summâ cum gloriâ optimoque eventu Legationes, redires in Patriam. Et quem juvenem? non puerum aliquem indocilem atque ignavum, sed eum, qui, dum vestro cum DANÂ, *Viro optimo, videndorum populorum atque urbium caussâ, ad Russos abiisset, mediâ*

diâ hyeme per Finlandiam atque ultimum Septentrionem, Suedos, Danosque, & Germaniam, ſedecim annos natus, ſolus, ut ad nos redux veniret, iter perfecit, cujus incommoda ac pericula vir etiam conſtans & gravis reformidaſſet; eum, inquam, juvenem, qui, ad excellentiſſimi Patris exemplar totum ſe componens, vernos vixdum juventutis annos ingreſſus, Foederatae Americae commoda, ut potuiſſet vir in negotiis gerundis experiiſſimus, in primariis Aulis, in noſtrâ quoque Patriâ, procuravit.

Igitur, cum Tu talis erga me fueris ſisque etiamnum, ego vero Tibi talis ſim viſus, perſonâ tuâ nihil indignum me facere exiſtimavi, ſi Tibi publice offerrem imaginem Viri, quem Tu ipſe (quantum in diſpari ſtatione id ſieri queat) imitando exprimis; tum etiam Animadverſiones, *quas ad cognoſcenda Reip. Atticae bona malaque aliquid facere judicabis, quasque tanto majori cum voluptate leges, quanto magis illius etiam, ut omnium liberarum Civitatium, fortunam virtutes, vitia perſpecta Tibi eſſe, & ad prudentiſſimum ſimul ac doctiſſimum examen revocata, praeclaro Opere* de temperandis Rerumpublicarum formis, *oſtendiſti. Tandemque* Disquiſitionem,

nem, de Praesidibus ac Moderatoribus Reip. & Senatûs Atheniensium, *cui inscriberem potiori jure quam Tibi, qui, ab ipsis novi Foederis vestri auspiciis, illum ipsum, sub* WASHINGTONO, *Praesidis locum tenes, & sapientissimum Sociorum Senatum, jam octo abhinc annos, moderaris? Accipe ergo hosce, quam leves & facile perituros, studiorum meorum fructus illo animo, quem Tibi expertus novi; & me, quod facis, ama.*

Dabam in Suburbano ad LEIDAM ipsis
Kalendis Juniis anni a nato
Christo MDCCXCVI.



AUDI-

AUDITORES OMNIS LOCI, ORDINIS, AETATIS, HUMANISSIMI.

Quemadmodum conſtans univerſae Naturae lex eſt, ut in eodem genere maximae ſint ſingularum rerum corporumque diſſimilitudines, neque ejusdem arboris unus ramus alteri, ne folium quidem folio ſimile reperiatur, ita in animis exiſtere majores etiam varietates, jam a Veteribus obſervatum eſt: Atque ut, non ſine ſapientisſimo conſilio, in immenſâ hominum multitudine ſuus cuique vultus certis notis, tanquam imago animi, discernitur, ſic & ingeniorum, quamvis eadem ſtudia ſequentium, tam diverſa eſt facies, ut vere dictum ſit:

Sua cuique quod ſit animi cogitatio,
Colorque proprius.

A Id,

Id, cum de omnibus verum ſit, tum maxime de iis, qui elegantiores literas & antiquarum rerum colunt memoriam, adfirmari poteſt. Fingite vobis aliquem, qui a primâ juventute hac diſciplinâ delectatus ſit, ita tamen delectatus, ut veteris aevi exempla non conquireret inaniter curioſus, onerandaeque magis quam ornandae memoriae cupidus, ſed ut inde ſibi colligeret praecepta ad vitae communis uſum, & omnia ſocietatis civilis officia plenius rectiusque praeſtanda: Fingite hunc hominem in ea incidere tempora, quando, diſſociatis civium animis, alii aliis favent partibus; &, gliſcente in dies magis magisque diſcordiâ, difficillimum tandem fit inter tot ac tanta odia tutum ſimul eſſe & propoſiti perpetuo tenacem: Fingite vobis, inquam, talem hominem: Neceſſe omnino eſt, ut ingenita illi cupido ſe efferat res praeſentes comparandi cum antiquis, eamque divinationem adhibendi, quae ſola vera eſt & nunquam fallit, ipſam nimirum prudentiam de futuris ex praeteritis judicantem. *Naturae paremus omnes;* & fieri non poteſt, quin animus, ſic a teneris factus & inſtitutus, in eandem continuo, invitus licet & propemodum reluctans, deferatur tamen cogitandi viam, inter calamitates Patriae,

triae, inter ſui etiam ipſius aliquando miſerias, hac ſe ſolatus recordatione, nihil jam evenire quod non olim evenerit. Fingite porro hunc eundem hominem ſalutis publicae ſtudioſisſimum, ſed ea indole natum, ut humanitatem caeteris dotibus praeferat, neminem lubens offendat, omnia officia praeſtanda eſſe ſine factione exiſtimet; &, quamvis malos cives odiſſe didicerit, nunquam tamen recedendum putet a perpetuâ illâ naturali bonitate, quae nullis caſibus neque flectitur, neque minuitur: Neceſſe iterum erit, ut in illa intueatur exempla vetera, quae ipſum, perturbatâ civitate, incertum regant, haerentem expediant, pene deſperantem recreëent & confirment. Quaeret adſidue non Theramenem aliquem, qui, nunc potentium fautor & aſſecla, nunc multitudini jucundus interque homines populares praecipuus, Tyrannidis modo ſocius eſt, modo Tyrannorum adverſarius & hoſtis, quique per totam vitam aptus utrique pedi cothurnus dubiam virtutis an pravitatis famam Poſteritati propagavit: At talem perquiret ex Antiquitate virum, qui, neque temporarius, neque fortunae amicus, ſed ſui ſemper judicii, rectum ſecundumque, quantum fieri poſſit, furentibus civilibus procellis, in mari ſcopuloſo cur-

ſum conſtanter tenuerit, atque ita ſe geſſerit, ut rigidus verae ſapientiae ſatelles optimas partes nunquam deſeruiſſe, neque tamen ullis unquam civium ſtudiis totum ſeſe addixiſſe & velut mancipio tradidiſſe videatur.

Ego vero, AUDITORES O. O. HUMANISSIMI, — (quid enim diffitear, perturbatiſſimâ hac, qua vivimus, Patriae conditione, me conſolationis indigentem in hiſce cogitationibus frequenter eſſe defixum) — ego vero, dum Antiquitatis memoriam recolo, duos potiſſimum invenio viros, diſpari conditione ac fortunâ, ſed illâ ſapientiâ pares, ut, corruptis civium moribus, perditâ Republicâ, adflictâ per paucorum dominandi libidinem & univerſorum amentiam libertate, ſeſe quidem ab omni ambitione diſcordiarumque motibus removerent quam longiſſime, neque tamen quidquam temporis cauſſâ facerent; ſed humana cuncta placide ac moderate ferentes, & ſibi in vitâ nihil praeſtandum praeter culpam putantes, bonorum & excellentium virorum, quascunque in civitate partes ſequerentur, uſum benivolentiamque retinerent. Vere enim arbitrabatur horum alter, Titus Pomponius Atticus, fluctus civiles non magis in illorum eſſe poteſtate, qui ſe iis credidiſſent, quam

quam qui maritimis jactarentur. Vixit igitur ſibi, ſtudiis ſuis atque amicis, quiete, pure, ſuaviter: Multos beneficiis adfecit; multos re, ope, conſilio juvit; neque inutile terrae pondus exſtitit, cujus vita ac mores tam diu laudabuntur, quam florebit non intermoritura Hortenſii, Tullii, Caeſaris, quibuscum conjunctiſſime vixit, fama.

Si tamen boni Civis officio melius pleniusque is functus eſſe cenſeatur, qui, cum perturbatam videt civitatem, ſeſe tumultui non ſubtrahit, ac procul a miſerâ Patriâ in longinquas ſecedit terras, ut tranquillitatem dignitatemque ſuam facilius tueatur, ſed contra, forti ac conſtanti animo, id unum agit, ut exulantem e natali ſolo concordiam monitis, praeceptis, & exemplo revocet, Virtutemque Civilem cum ipſo vitae periculo, medios inter populi furores, luculenter demonſtret; — ſi denique aetas in publicum commodum transacta praeſtat otio eleganti inter domeſticos parietes; — tum certe Tito Pomponio Attico hac etiam in parte longe anteponendus eſt alter, quem Virtutis quidem comes invidia calumniis tandem oppreſſit, ſed qui, dum meritorum in Cives atque Patriam praemium tulit cicutam, a

nobis, quotquot veritatis amantes vivimus, omnibus, poſt bis millenos annos, haud ſecus quam ab Oraculo Delphico, mortalium non tantum ſapientiſſimus, ſed omni memoriâ longe optimus, celebratur.

Sinite ergo, AUDITORES, me, qui ante hos decem ferme annos ex hoc ipſo loco probare conatus ſum, *Eruditionem verae Virtutis Civilis eſſe altricem*, exemplo jam oſtendere, quomodo illa Eruditio adhibenda ſit, ut ex Antiquitate exemplaria petamus ad imitationem perfectiſſima: Sinite me pauca dicere DE SOCRATE CIVE.

De *Socrate* autem *Cive* dicturum, facile intelligitis me neque prorſus excludere illa officia, quae ad arctiorem pertinent colligationem cum uxore, liberis, propinquis, amicis, neque tamen ea aliter ſpectare, quam quatenus nemo bonus Civis dicendus eſt, qui paterfamilias ſit rerum ſuarum negligens, in conjugem durus, erga liberos inmitis, adverſus omnes vel moroſus, vel commodum ſuum reſpiciens unice. Exiſtimabat Socrates, primam & praecipuam ſocietatem eſſe in conjugio & liberis, eumque qui vitam ſocialem in iſtâ conjunctione contemnat, ad humanitatem non eſſe natum.

Lon-

Longe idcirco aberat ab illorum ratione, qui, Thaletis inſtar, dum ſapientiam adfectarent, id quod ſapientis eſt negligerent, generi humano inſervire. Duas uxores domum duxit, priorem Myrtonem, Ariſtidis Juſti ſanguine prognatam; eâque, ut mihi videtur, ſine liberis defunctâ, alteram Xanthippen, quae tres illi filios peperit, patri ſuperſtites: Nam, quae de Socrate, geminam eodem tempore uxorem domi habente, ſcripta reperiuntur, calumnia eſt in virum continentiſſimum potius quam fabula, quandoquidem, quae tanquam fundus illius διγαμίας in medium adfertur, Lex Attica, Periclis aetate lata, ejusmodi eſt, ut qui eam hanc in rem memorarunt Peripatetici, Satyrus, Hieronymus Rhodius, alii, ignorare non potuerint, ipſa haec, quae referebant, Legis verba in diverſum prorſus ſenſum eſſe interpretanda, Legisque rationem, ex Hiſtoriâ Atticâ illius temporis facile repetendam, aliam omnino fuiſſe, quam ut (res inter Graecos inaudita!) licitum Athenis unquam fuerit, duplex matrimonium, quod legitimum eſſet, eodem tempore contrahere. — Sed iſta, quae aliena ſunt ab hoc loco, agemus alias: Nunc illud animadvertiſſe ſufficiat, Socratem, cui difficillima uxoris indoles inſtar

equi

equi erat ferocitate exultantis, ut in illâ quotidiano usu disceret, homines effraenatos in gyrum rationis ducere, — Socratem, inquam, cum uxore rixarum amante sic vixisse, ut ipsa testata sit, maritum, infinitas inter Reip. mutationes, irasque etiam domesticas, placido vultu semper domo exiisse, placidâ & serenâ fronte fuisse reversum. Quin &, si in conciliandis sibi hisce nuptiis fortunam minus fautricem habuit vir optimus, in filio etiam, quem solum aetate vidit adultiorem Lamproclem, haud multo fuit felicior, indocilem expertus matrique quam sibi similiorem: Et erga illum tamen ita se gessit pater mitis & prudens, ut faciles cum puero ludi & amica parum obsequentis admonitio, quorum exstat memoria, etiam nunc testentur, nihil esse, quod vir sapiens & bonus non putet sibi secundum Naturam esse faciendum. *Natura*, inquit CICERO, *praescribit, ut homo homini, quicunque sit, ob eam ipsam caussam, quod is homo sit, consultum velit.* Haec etiam Socratis erat Philosophia, ut felicissimum illum diceret, qui bonus esset conjux, bonus pater, bonus amicus, bonus civis. Itaque nemo amicos aut studiosius quaesivit, aut majori cum curâ legit, aut conciliatos

sibi

ſibi religioſius coluit, aut quacunque poſſet operâ conſiliove fidelius adjuvit. — Qui in Literis non plane hoſpes eſt, neque XENOPHONTEM ignorat, is certe a nobis dictorum exempla non requiret. Quod enim ſincerae amicitiae ſit pretium, quae utilitas, quae officia, ex aureo *Memorabilium* Libello, melius etiam quam ex Ciceronis *Laelio*, cognoſcitur. — Sed DE SOCRATE CIVE, id eſt, *de vero Sapiente, omnibus, quae ad Civem pertinent, officiis pleniſſime & rectiſſime perfuncto*, uberius eſt dicendum.

Atque hic contemplemini, quaeſo, AUDITORES, iſtum, qui ſupra vulgus ſapere ſe credat, rerum humanarum contemtorem. Abditus inter libros, aut in agro latens, quaecunque civilia ſunt, ad ſe non ſpectare cenſet, neque ullam novit caritatem, quae ipſi tanti videatur, ut, relicto otio, communia cum civibus ſubeat Reip. onera & pericula. Haud ita Socrates. Idem ille, qui in praeceptis non prudentiae tantum civilis ſed artis etiam bellicae tradendis neminem Athenienſium habebat parem, tum junior, tum quadragenario major, in exercitu meruit miles gregarius; &, evocatis ad arma civibus, quo juberent duces, terrâ marique ſecutus

eſt: Labores militiae pertulit, adiit pericula, mortem in procliis impavidus contemſit. " Peliden imite-
„ mur, ipſe de ſe apud PLATONEM ait: Ne telluris
„ vivamus pondus inutile: Ne quis unquam mortis no-
„ bis formidinem exprobret, aut periculorum fugam:
„ Qua nosmet ipſi ordinaverimus aciei parte, aut quo
„ ab imperatore ordinati ſumus loco, ibi maneamus,
„ nec mortem reformidemus, neque alia diſcrimina,
„ nihil reputantes, niſi ut vitemus turpitudinem. At-
„ que haec mea, o! Athenienſes, ſemper fuit vitae ra-
„ tio: Quo duces, a vobis lecti, me conſiſtere juſſe-
„ runt, & prope Potidaeam, & ad Amphipolin, & in
„ Delio, ibi conſtiti haud minus perſeveranter quam
„ quisquam alius, & ultimum diſcrimen adii: Ita enim
„ judicabam, & nunc etiam judico, quo Deus nos vo-
„ cat, illuc eſſe ſequendum ".

Et revera longum eſt referre, quae de Socratis militiâ ſummo traduntur Scriptorum conſenſu: Unum dicemus: Civem non bello minus quam pace utilem ſeſe praeſtitiſſe Socratem, militem fortiſſimum, amicum denique vitam pro amicis ponere paratum: Et ad Delium quidem ſic pugnavit, ut, ſi fides PLATONI, teſtatus ſit Athe-

Athenienſium Praetor Laches, ſi caeteri tales in praelio fuiſſent omnes, qualis unus Socrates, non fuiſſe futurum, ut a Boeotis Athenae de gradu dejicerentur. Ultimus cum ipſo Lachete pugnâ exceſſit, lento gradu, animi compos, & inſequentes Thebanos, ſi propius urgerent, propulſare paratus. In ipſâ vero hac fugâ, ſi de Socrate fuga ſit appellanda, divinanti, qua utebatur, prudentiae obſecutus, multis auctor ſalutis fuit, cavens ne viâ inſiſterent, qua in hoſtium inciderent equitatum: Integerrimum autem amicum & alumnum digniſſimum, Xenophontem, equo, qui curſu ſe proripuerat, delapſum ſuſtulit, periculo eripuit, & ipſe pedes, juvenem aetate provectior, humeris portavit, donec fuga ſiſteretur. Quam eandem ſalutem diſcipulorum alteri, Xenophontis prorſus diſſimili, utinam & ante ad Potidaeam non praeſtitiſſet! Alcibiadem, morum publicorum corruptorem, & Patriae, ſive amicus eſſet ſive hoſtis, peſtem, deinde non expertae fuiſſent Athenae: Sed nimirum nemo unquam praeceptor juvenes in diſciplinam traditos caſtius amavit aut ſincerius. Contubernalem in obſidione Potidaeae hunc Cliniae filium habebat Socrates, & in certaminibus ſocium, qui latus tegeret:

ret: Dum acri pugnâ ſtrenue dimicarent uterque, vulneratur Alcibiades & ſaucius procidit: Jacentem tegit Philoſophus, & inſpectante acie ab hoſtium ſervat injuriâ: Nec ſervavit tantum; ſed rei bene geſtae praemium, quod ipſe erat promeritus, coronam civicam & arma adoleſcenti, ut illum vehementius ad virtutem & laudem excitaret, lubens conceſſit, quin prior omnibus teſtimonio ſuo vindicavit.

Ac profecto, quamvis laborantem Patriam defendere boni civis eſſe arbitraretur, bellica non erat gloria, quam maxime appetebat Socrates: Recte factorum conſcientia ſapienti erat pro mercede: Seu militiae eſſet, ſeu domi, magiſtratibus atque imperatori obſequi, in iis quae Leges juberent, ipſi non erat niſi officium facere: Vereque ad cives dicentem facit PLATO, ſe per omnem vitam, ſive publice, ſive privatim, nihil egiſſe praeter fas & aequum. Quum illius aetate adflictiſſimus eſſet Reip. ſtatus, diſcordiis civilibus merſa, a factioſis prodita, & bello cum Lacedaemoniis conflato peſſumdata Civitas, " ipſe neque ſeditionis, ne„ que proditionis, neque mali cujuscunque (XENO„ PHONTIS verba refero) Patriae auctor exſtitit ".

Qui

Qui re familiari admodum modicâ erat contentus, atque adeo etiam (quae tunc ad opes ac potentiam patebat via) turbarum civilium ſocietatem averſabatur, ab omni conjuratione aut ſeditione alienum ſe ſemper fuiſſe, coram judicibus aperte profeſſus eſt: Quin, qui factioſus foret, aut familiares ſuos plurium odiis propterea implicaret, hunc ne inter amicos quidem deligendum eſſe arbitrabatur. Quamquam autem ab hoc genere, quod in perpetuis turbis verſatur, vitamque vitalem non niſi medios inter ignes reperit, abhorreret quam maxime, potentium tamen minime erat adulator, neque aſſentator populi; ſed *liberam* perpetuo *adhibebat contumaciam*, quam *a magnitudine animi ductam* ait CICERO, *non a ſuperbiâ.* Ergo inter cives ita verſatus eſt, ut ſemper optimarum partium Patriaeque Libertatis defenſor & eſſet & exiſtimaretur. A Republicâ tamen abſtinuit; & praeter annalem in Quingentorum Senatu locum, quem ſemel tenuit, nullos honores ambivit, inter Archontas nunquam ſortitus eſt, & ab Oratorum ſuggeſto quam longiſſime hic vir ſe removit, qui dicendi fontes ſuadendique cauſſas rectius noſſet, quam qui iſthoc tempore Demagogorum habebantur diſertiſſimi.

At vero, roget quisquam & merito, quae demum fuit ratio, quae Socratem, civem optimum, impedivit, quo minus Patriae prodeſſet illâ in ſtatione, qua vir probus, honeſtus, & prudens civibus maxime prodeſſe queat. Ad Remp. gerendam Charmidem aliosque hortatus eſt; & Ariſtippum graviter reprehendit, quod ita ſe comparaſſet, ut voluptatis atque otii gratiâ adminiſtrandae civitati ineptus videretur. Quin ipſe tam bene noverat, quae artis imperatoriae, quae magiſtratus eſſent partes, ut nihil in iſto genere excellentius legatur quam qui eſt apud Xenophontem, *de revocandis ad priſtinam fortitudinem Athenienſibus* habitus cum Pericle juniore, ſermo Socraticus. Quid igitur a capeſſendâ Republicâ Philoſophum deterruit? Cauſſam narrabo, AUDITORES, ipſius Socratis apud PLATONEM verbis, eo plenius, quod in hac vitae Socraticae parte caput orationis noſtrae maxime ſit verſaturum.

" Abſurdum vobis videatur, o Cives"! — (pars eſt Orationis, quam Plato literis conſignavit, ut a Socrate ad Tribunal Heliaſticum habitam) — " abſurdum ,, vobis videatur, o! Cives, me multas circumeundo do- ,, mos, magno cum labore & moleſtiâ, pluribus pri-

,, va-

„ vatim confulere, qui idem gravor ad populum prodire „ & in concione verba facere de Republicâ. Saepius „ a me audiviftis, adeffe mihi vocem aliquam divinam, „ quae me identidem a propofitis nocituris dehortetur. „ Divinus hic monitor eft, qui a tractandis negotiis pu- „ blicis me retraxit continuo. Et recte quidem ac „ praeclare feciffe videtur: Nam pulchre noviftis, „ o! Athenienfes, fi jam olim tentaffem ifta tractare ne- „ gotia, futurum fuiffe, ut dudum interiiffem; neque „ vobis profuiffem, aut mihi. — At vero ne irafcami- „ ni, quaefo, vera dicenti: Nemo enim quisquam eft „ mortalium, qui fibimet vitam diu falvam praeftet, fi „ aut vobis aut cuicunque demum multitudini generofe „ adverfetur, & vetet, ne multa contra jus ac leges fiant „ in civitate: Sed neceffe eft omnino, ut qui pro jufto „ & aequo certare aufit, fi vel pauxillum temporis fu- „ perftes effe cupiat, privatus vivat nec Remp. attin- „ gat: Ego vero vobis magna horum dictorum docu- „ menta exhibebo, non verba tantum, fed, quibus vos „ pretium ftatuitis, facta:" — Quae facta, mox quo- que memoranda, poftquam enarravit Socrates, fic per- git. — " Atque horum factorum permulti vobis erunt

„ te-

„ testes: Anne ergo putatis, me ad eam septuaginta „ annorum aetatem fuisse perventurum, si Remp. ca„ pessivissem, atque in eâ administrandâ sic fuissem ver„ satus, quemadmodum viro bono dignum est, juris „ & aequi defensor, unumque id officium, uti decet, „ cunctis aliis commodis praeferens. Multum abest, „ o! Athenienses, ut tamdiu superfuissem: Neque alius „ quisquam hominum, ita se gerens & publicis se im„ miscens negotiis, salvus evasisset".

En! vobis, AUDITORES, quae virum sapientissimum a procurandis civitatis negotiis absterrebat ratio. Qui in eâ, quae tum erat Athenis, rei civilis formâ, populi mores, pravos multo magis quam bonos, ferre non posset, illi procul ab istâ claritate & amplitudine erat vivendum. — De Rep. constituendâ alibi differens, Socrates Philosophos adfirmat haud injuriâ civiles undas exhorrescere. " Etenim, inquit, quicunque dulcedi„ nem vitae illius vere beatae in studio sapientiae vel „ parumper gustaverit, & multitudinis perspexerit amen„ tiam; — qui expertus sit, neminen propemodum „ sani quid in administrandâ civitate praestare, neque „ adesse sibi ullum socium, quo adjutore justitiae opitu-

„ la-

„ latus ſalvus evadat; — qui contra intelligat, ſe, tan-
„ quam hominem medias inter feras delapſum, quum
„ neque unâ cum iis injuſte agere velit, nec ſatis ha-
„ beat virium, ut ſolus contra omnes haſce feras con-
„ ſiſtat, prius eſſe periturum, quam aut Patriae aut ami-
„ cis prodeſſe queat, atque ita intereat & ſibi & aliis
„ inutilis; — quicunque haec omnia apud animum per-
„ pendat, otioſus vivet; &, re ſuâ familiari delectatus,
„ velut quando in procellâ pulvis ſordesque huc atque
„ illuc, agitantibus ventis, impelluntur, ſub murum
„ aliquem ſeſe in tuto collocabit; dumque interim re-
„ liquos contemplatur in turbine hoc civili multis in-
„ juriis facinoribusque nefariis oppletos, ipſe ſatis ha-
„ bebit, ſi ab omni injuſtitiâ purus, neque ullius ſibi
„ criminis conſcius, vitam, quae hic illi agenda eſt,
„ placidus deponat, eamque optimâ ſub ſpe cum me-
„ liori vitâ tranquillus commutet ac laetus."

Verum regerat forte aliquis, haec Platonis ſunt dicta, non Socratis. Haud valde repugno; nam & de Platone conſtat, cum is lacerari factionibus Civitatem Atticam aegre ferret, "atque opinaretur tantum in Rep. conten-
„ dendum eſſe" (CICERONIS iterum verbis utor,

C Pla-

Platonem auctorem vehementer sequentis) " tantum in
„ Rep. contendendum esse, quantum probare tuis civi-
„ bus possis, vim neque parenti, neque Patriae adferre
„ oportere, — de Platone, inquam, constat, cum is
„ ita sentiret, hanc etiam illi caussam fuisse non attin-
„ gendae Reip. quod, cum offendisset Populum Athe-
„ niensem prope jam desipientem senectute, cumque
„ eum nec persuadendo, nec cogendo regi posse vidis-
„ set, cum persuaderi posse diffideret, cogi fas esse
„ non arbitraretur." Sed nihil praeceptori suo adfinxisse Platonem, quod ab ejus personâ aut sententiâ alienum fuerit, haud incertâ fide probatur; nec dubitabit quisquam, si consideraverit, quae fuerit, postremâ praesertim aetate Socratis, Reip. Atticae conditio. Paucis illam & quae his eisdem annis, id est, flagrante bello Peloponnesiaco, civitatem presserunt mala, depingamus: Ex illis quippe quae porro dicenda sunt, clarius elucebunt.

Remp. Atticam, discordiis fessam, quum constituendam accepisset Solon, tam prudenter popularem regiminis formam temperaverat, ut, oppressâ praecipuâ mali labe, nimiâ optimatium auctoritate, esset tamen & ab

al-

alterâ parte momentum aliquod, quod contra-nitentis potentiae popularis pondus cohiberet: Atque hujus libramenti cum variae fuerunt rationes, tum tres hic maxime ſpectandae: Prima, quod, auctâ & conſtitutâ Areopagi auctoritate, Solon hoc Concilium juſſerit ipſius Populi eſſe Cenſorem, Legum veteriſque diſciplinae cuſtodem atque vindicem: Qua Areopagi auctoritate cenſoriâ frenum injecit turbulentae Democratiae eo validius, quod nemo, niſi qui Archon fuerat, inter Cenſores iſtos Moderatoreſque Reip. adlegeretur. Vetuit autem idem (atque haec eſt ſecunda libramenti ratio) ne, cum quatuor forent Civium ordines, poſtrema claſſis, eorum nempe qui capite eſſent cenſi, ad ſupremum in Civitate honorem poſſent adſpirare, neque ſuffragiis civium inter Archontas legi: Quippe tertia haec fuit Soloni cura, ne, quemadmodum in Judicibus Heliaſtis aliiſve Magiſtratibus creandis mos erat, ſic etiam, non populi judicio, ſed ſorti committeretur, quis illam teneret dignitatem, a quâ, iſthac quidem Reip. aetate, maximae res gerebantur, & ad quam nemo admittebatur, niſi qui duplicem morum ac vitae probationem, primum in Senatu Quingentorum, deinde

apud Heliaſtarum Tribunal, ſuſtinuiſſet: Verum, quae tam ſapienter ordinaverat Solon, ut temperata Reip. popularis conditio quam longiſſime abeſſet ab immoderatâ libertate & quidvis audendi licentiâ, — prudentiſſima haec inſtituta ut permanerent, non ſivit factionum inter ſe certantium aemulatio, nec populi perpetuo plura cupientis levitas. Triumphis, quos a Perſis reportaverant, ferocientes Athenienſes ab Ariſtide, cive optimo, ſed cui plebis favor contra aemulum Themiſtoclem pernecesſarius erat, extorſerunt Legem, qua ſummus in civitate honos cum infimâ plebe communicatus eſt; deinde ſtatutum, ut Archontes non amplius ſuffragiis populi ſed ſorte crearentur. Cum autem ſors Pericli nunquam faviſſet ad illum magiſtratum obtinendum, ſibique hoc velut fato aditum ad Areopagitarum ſedem praecluſum videret; cum praeterea ferre non poſſet, auſteros hoſce morum cenſores ſibi, qui ſolus regnare cupiebat, liberum iſtud imperium intercipere, per interpoſitam Ephialtae perſonam, qui melioris pectoris quam judicii vir caecâ libertatis popularis cupidine ferebatur, — Ephialtae, inquam, operâ Pericles effecit, ut ſeveriſſimi atque juſtiſſimi Conſeſſus ſaluberrima auctoritas in tuendo

Reip.

Reip. ſtatu concideret, neque Areopagitae amplius niſi judicum officio fungerentur.

Per hoſce gradus, auctâ immenſum & effuſâ infimae plebis licentiâ, id evénit, quod ISOCRATES ait, " ut „ Democratia, quae temere ageret, quae in petulantiâ „ libertatem, in procaciâ felicitatem collocaret, ſucce- „ deret in locum illius, quae apud Majores fuerat, cum „ Optimatium conſiliis amice conjuncta."

Non morabor vos, AUDITORES, dicta mea pluribus confirmans, quae ex eodem ISOCRATE, ex PLATONE, & (quem primum laudare debueram) ex ARISTOTELE, a quovis veſtrûm facile petentur: Neque multus ero in recenſendis, quos ex hac ſuâ inſaniâ Athenienſes retulerunt, fructibus. Quis bellum Peloponneſiacum ignorat & incendium iſtud, quo tota Graecia conflagravit, a Pericle, poſt profligatum odioſum ſibi Areopagum, propter leviſſimas, imo pudendas maxime cauſſas, excitatum? quis ipſo hujus belli initio atrociſſimam peſtis labem? quis variam illius fortunam? quis amentiam, in recuſandis, auctore potiſſimum rabido Demagogo Cleone, ſaluberrimis pacis conditionibus? quis temerariam & inutilem aeque ac funeſtam expeditionem

Siculam? quis munitam Deceléam? quis everſam formam popularem legitimam & in Oligarchicum Quadringentorum imperium converſam? quis obſeſſas, fame enectas, proditas, captas Athenas? quis dejectos muros? quis, ſub Lacedaemoniorum patrocinio & tutelâ, furentes, oppreſſâ Libertate, adverſus optimum quemque civem triginta Tyrannos? quis denique, poſtquam cum omnibus miſeriis conflictatae eſſent Athenae, ejectum trucidatumque Critiam cum crudelibus ſociis, & Rempublicam a Thraſybulo praeclare reſtitutam?

Horum omnium malorum, quae nemo eſt Scriptorum veterum qui non referat ad primam effrenis licentiae popularis cauſſam; — horum omnium malorum teſtis & ſpectator fuit Socrates: Et, cum non facile tot ac tanti funeſtiſſimi caſus intra breve paucorum annorum ſpatium in Hiſtoriâ cujuscunque gentis concluſi reperiantur, operae pretium eſt conſiderare, qualis in tam crebris, tam ſubitis, tam variis, tam violentis Reip. converſionibus, — qualis, inquam, civis fuerit Socrates. Aut me omnia fallunt, aut fatebimini mecum, quemadmodum, cum ſaeviſſimi mali labes innumerabiles Athenienſes quotidie raperet, temperantiâ & abſtinentiâ hoc effecit Socra-

cra-

crates, ut inter diras luis ſtrages & cadaverum acervos ſanus remanſerit ac ſalvus, ſic & eâdem, ut ita dicam, mentis ſobrietate factum fuiſſe, ut, dum reliqui cives animorum tabe & peſtilentiâ afflarentur, ſolus ab iſto veneno purus perſeveraverit & intactus.

Et primum quidem neceſſe eſt, ut, qui generoſâ indole ſit natus, ſervitutem finibus, propter quos ſummum Numen genus humanum condiderit, adverſam judicet: Neceſſe adeo eſt, ut idem ſtatum civitatis popularem cuivis alii formae regiminis praeferat, & tam conſummatum velit, quantum quidem id per rationes fieri poſſit, quae in regundis Rebuspublicis ſpectantur, quaeque pro ingenio populorum, regionum ſpatio, divitiarum modo, ſimilibusque cauſſis variae ſunt & diverſae: Neceſſe inprimis eſt, ut vir ſapiens & bonus, qui Patriam regio imperio aut potentium dominatione liberam a majoribus acceperit, eam libertatem, qua poſſit operâ, cum periculo etiam ſuo, conſervet, ſtabiliat, tueatur. — Talis fuit Socrates, quem quod forti & conſtanti animo eſſet, propterea & formam civitatis liberam amaſſe refert DIOGENES LAERTIUS, uti XENOPHON, quod humanitatis plenus eſſet, ideo & popularem fuiſſe teſta-

tur:

tur: Et tamen idem ille Socrates pulchre noverat, nec minus aperte reprehendebat, tum civium ſuorum tum ipſius civitatis vitia, quae poſtremâ praeſertim Reip. aetate invaluerant: Leges iſtas, de quibus modo dicebamus, Ariſtidi propemodum invito extortas, inſanas ac publicis commodis adverſas, cum Iſocrate caeterisque civibus prudentioribus, judicabat. " Quis, aiebat, vel „ domus ſuae fabrum, quisve navis gubernatorem ſorte „ legere velit; peritiſſimum quisque ſibi optat, non „ quem fors obtulerit: Et tamen in hac noſtrâ civitate „ ita vivimus, ut fabae conſtituant illos, quibus ſumma „ Reip. ſit committenda; quaſi vero in conſtruendâ domo, aut in nave ad portum adpellendâ, minus periculoſe quam in adminiſtrandâ Rep. peccaretur."

Tanto autem gravius erat damnum, inde enatum quod ineptiſſimi ſaepe homines, ſorte creati, populo praeeſſent, quo magis ipſe populus ejusmodi foret, ut idoneo & cauto rectore vehementer indigeret: Nam, cum ab unâ parte mitis eſſet, humanus, elegans, hospitalis, aliquando etiam juſtiſſimus, ab alterâ tamen haud immerito a Scriptore Axiochi reliquisque Scriptoribus Atticis depingitur tanquam ingratus erga illos, qui bene de Patriâ

triâ forent promeriti, invidus adversus omnes virtute aut quovis decore illustres, fastidiosus, varius, & levis. Atque haec levitas in decernendâ Expeditione Siculâ, dum flagraret bellum cum Peloponnesiis, maxime apparuit. Plerique Atheniensium, idoneus ait auctor THUCYDIDES, ignorabant & magnitudinem insulae & immensum incolarum, qui illam seu Graeci origine, seu Barbari, inhabitabant numerum: Ignorabant, se in Siciliam navigaturos bellum suscipere non minus operosum quam quod sibi jam esset cum Peloponnesiis: Et tamen Expeditio Sicula, auctore & suasore Alcibiade, probata, decreta, suscepta est. Quo eventu, AUDITORES? Illo, quem cogitatione praeceperat, civibus etiam praedixerat, Socrates, id est, funestissimo. Inexplebili in alios populos liberos dominandi cupidine perpetuo agitati Athenienses, vivo adhuc Pericle, occupandae Siciliae incensi fuerant desiderio. Mortuo avunculo, id desiderium magis magisque inflammabat Alcibiades, hinc sibi opes, hinc potentiam, hinc immensam gloriam sperans, postque subactam Siciliam mox domandos somnians Carthaginienses, Afros, ultimosque Libyas: Et, dum ista omnia magnificis verbis praedicaret in perniciem Patriae natus Cli-

niae filius, quid Populus Athenienſis? Audires applaudentes juvenes; provectiores eâdem ſpe elatos; ſenes, ſed in ipſâ ſenectute plus etiam delirantes, dum hic atque illic otioſi adſiderent in palaeſtris, ſtadiis, atque circulis, mira narrantes de iſtâ inſulâ & infinitis commodis, quae animo inde jam praecipiebant, quin formam Siciliae, ſitumque Africae & domandae Carthaginis, quae nunquam tamen, ne in tabulâ quidem, oculis uſurpaverant, baculo in arenâ deſcribentes. Quid vero Socrates inter haec deſipientis populi ſomnia? Niciam, virum militari & civili prudentiâ conſpicuum, in diſſuadendâ Expeditione temerariâ aeque & periculoſâ fuiſſe conſtantem & acrem, nemo miretur: At quid noſter Philoſophus? Quid ille, rogatis, AUDITORES? Uſus eſt ſolitâ divinatione ſuâ, id eſt, ſapientis animi ſolertiâ, praedixitque Athenienſibus, nihil boni, nihil fructuoſi ad Remp. ex navigatione in Siciliam perventurum. Sic enim ſentiebat, belli injuſti fructus non niſi acerbos & mortiferos eſſe poſſe. Ergo, quantum potuit, hac quoque in cauſſâ civibus adverſatus eſt, quamvis id moderatius egerit quam celeberrimus Aſtronomus Meton, neque propterea facem ſuae ipſe domui ſubjecerit.

Ni-

Nimirum, qui cum populo insanire recuset, vir prudens & gravis, propterea neque ipse furat vicissim, nec populum oderit. Exemplo iterum sit Socrates: Nemo caritate Patriae magis commotus, nemo cives majori benevolentiâ complexus, nemo solo patrio plus delectatus est, ita ut extra Athenas, si militiam exceperis, nunquam peregrinatus sit, nullamve aliam regionem aut civitatem invisere, ne sacra quidem solemnia, ad quae tota undique Graecia confluere solebat, spectare cupiverit, nisi quod semel ludis adfuerit Isthmicis. Viros aliis in terris principes divitiisque vel potentiâ nobiles, non sine aliquo rei privatae respectu, isthac aetate adire consueverant, qui studiis sapientiae aut literarum excellebant: Id fecerunt non solus Aristippus, voluptatis assecla, sed amici Socratis & familiares, Euripides ac Plato: Ipse autem Scopam Eurylochumque, homines ditissimos, qui lautis conditionibus eum invitabant, aspernatus est: Et, quemadmodum vir in pluribus Socrati similis, Medicinae Parens Hippocrates, postea ad Artaxerxem, Persarum Regem, iturum se negavit, sic & ab Archelao, Macedonum Rege, invitatus ire noluit ad voluntariam servitutem is, *cujus*, ut alicubi ait SENECA, *libertatem civitas libera ferre non potuit.*

Nemo, inquam, majori benevolentiâ cives complexus eſt: Quamvis enim tales eſſent, quales ipſius verbis ante deſcripſimus; — quamvis infeliciſſimam crederet ejus conditionem, qui Remp. gerens ad libidinem hujus populi viveret, nunc plauſibus incitatus, nunc ſibilis exceptus; nunc ad mulctam damnatus, ad exilium, aut mortem, nunc revocatus aut lacrymis defletus; — civibus tamen ſuis divinitus ſe datum exiſtimabat, ut eos meliores redderet & ad ſapientiam hortaretur. "Non „ mihi tam defenſione opus eſt — (apud PLATONEM „ ſic loquitur in *Apologiâ*) — non mihi tam defenſione „ opus eſt, o! Athenienſes, quam vobis ipſis, ſi meâ con„ demnatione Numen offendatis, donum abjicientes, quod „ ipſe Deus vobis dederit: Nam, ſi me occideritis, haud „ facile alium mei ſimilem reperietis. Ingenue dico, etſi „ ridiculus videor, non alium reperietis, quem Deus ve„ ſtrae civitati adhibuerit, velut equo cuidam forti & ge„ neroſo, ſed qui, ipſâ hac animi dote, freno minus ob„ temperat & neceſſe habet, ut calcaribus aliquando ſtimu„ letur. Itaque non ceſſo totum diem unumquemque ve„ ſtiûm excitare, monere, increpare etiam, ſi opus ſit."

Inter cives vero Atticos, quos Socratis cura & pro-

videntia maxime complectebatur, juvenes erant, quorum animus flecti adhuc docilis fingentis manum sequebatur & ad virtutem informari se gaudebat. Namque, quod vere de Socrate judicat PLUTARCHUS, quodque SENECAE iterum verbis explicare mihi fas sit, " non „ solus is Reip. prodest, qui tuetur reos & de pace bel„ loque censet, sed qui juventutem exhortatur, qui „ docet, quid sit justitia, quid pietas, quid patientia, „ quid fortitudo, quid mortis contemtus, quid Numi„ nis intellectus, quam gratuitum bonum sit conscien„ tia." — Et profecto, quam bene, hac adolescentum institutione ad omnem praestantiam & animi robur, de patriâ meritus sit Philosophus, nemo est qui ignoret, nemo qui nesciat, quot & quanti ex illius disciplinâ prodierint cives, doctrinâ, prudentiâ, probitate, fortitudine insignes, quamquam fuerunt etiam, qui, in suo quidem genere magni & excellentes, vitiis tamen aut facinoribus postea evaserunt turpes, quando ab optimo praeceptore ingrati desciverant, Theramenes, e. c. Alcibiades, & omnium pessimus Critias.

Neque monitis tantum aut praeceptis civitati, juvenibus praesertim, profuit sapientiae & virtutis magister,

ſed (quod multo majus eſt) exemplo atque ipſis rerum documentis. Paululum hic in conſiderando *Socrate Cive* ſubſiſtamus.

Praeclare, judice CICERONE, *hanc viam ad gloriam proximam, & quaſi compendiariam, Socrates eſſe dicebat, ſi quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis eſſet:* Hunc autem, qui ſine inani oſtentatione veram ſic gloriam conſecutus eſt, haud dedecet, qualem ſe ſemper praeſtiterit, aperte profiteri. Igitur in illâ, quam pro praeceptore ſcripſit PLATO, *Apologiâ*, iis, quae ante retulimus, verbis cauſſam reddens, cur a Rep. prudens abſtinuerit, mortis tamen metu ſe id minime feciſſe Socrates adfirmat, cum ſine ullâ capitalis ſupplicii formidine conſtanter reſtiterit violentiae & injuſtitiae, & cum populus Tyrannum ageret, & cum pauci crudeliter dominarentur. Iſta quippe civi bono ac forti eſt mentis conſtantia atque aequabilitas, ut Tyrannis ei ſemper ſit odio, ſeu ſub Regni nomine ſeu ſub populari ſpecie Remp. opprimat. — Meminiſtis, AUDITORES, qualis eſſet Bello Peloponneſiaco rerum Atticarum facies, quam inſana Populi Athenienſis libertas dicam an amentia. Illuſtrem a Lacedaemoniis victoriam

na-

navalem ad Arginuſas reportaverant octo Athenienſium Duces, quos inter Pericles, patris gloriâ, & Diomedon, rebus geſtis, virtute & pietate, nobiles: Devictis & in fugam conjectis Spartanis, merſis quam pluribus eorum navibus, oritur tempeſtas; & quos pugnando ab Athenienſium etiam parte aequor hauſerat, ne mari extraherentur, quamquam ſic mandarant duces, impediunt furentes undae ventique: Inſepultos aut aquis obrutos relinquere neceſſe eſt. At vero qui in praelio occubuerant, ut humo mandarentur eorum cadavera, jubebat Lex Attica; qui ſecus feciſſet, id capital ipſi erat. Iidem illi, qui rem patriae tam fortiter, tam feliciter reſtituerant, Duces domum revocantur, violatae Legis accuſantur atque impietatis. Nihil non facit, nullas non adhibet artes malevolorum, Theramenis praeſertim, malitia, illius ipſius Theramenis, cui tollendorum ex undis naufragorum curam mandaverant Duces; — nullas, inquam, illi artes non adhibent, ut populum exaſperent contra viros, innocentiſſimos non tantum, ſed praeclare de patriâ meritos, quos unis jam comitiis propemodum abſolverat. Poſtridie ex Senatus-Conſulto rogatio ad Populum proponitur, ut unâ ſuffragatione de uni-

universis octo, indictâ caussâ, judicium feratur: Proponitur rogatio & perfertur, quamvis Lex vetaret, ut ne scelestissimus quidem inauditus damnaretur, essetque praeterea contra omne fas omnemque morem, ut de pluribus simul reis unâ suffragatione populus pronunciaret. Ibi qui inter Prytanas juris aliquam habebant rationem, obsistere, negare se Tribus Atticas in suffragia missuros. At, qui concionem incitabant Theramenes, Callixenus, alii, clamare, Populi voluntatem esse pro jure; id, quod Populus juberet, validum semper esse ac ratum; qui secus sentirent, qui contra niterentur, hos idem manere supplicium quod Duces: Tum caeteri Prytanes, quin omnes omnino cives, qui huic se tempestati populari opposuerant, labefactari, terreri, incepto desistere, promittere denique, quidquid Populus scisceret, etiam contra Legem facturos. Solus fere inter cives intrepidus perseverare Euryptolemus; solus inter Prytanas Proedrosque immotus perstare Socrates: Cumque ita fors tulisset, quasi exemplum exhibitura viri fortis & constantis cum civibus, prava jubentibus, compositi, — cum, inquam, ita fors tulisset, ut Philosophus noster eo die Proedrorum primus foret, atque adeo Se-

na-

nates, ſeu Reip. Atticae per unum diem Praefectus, nullis ille potentium minis conterritus, nullis multitudinis clamoribus perturbatus, praefracte conſtanterque negavit, ſe quidquam facturum, quod Legibus eſſet adverſum, quin malle ſe mori quam ſacratiſſimum, quod Senator praeſtiterat, jusjurandum violare, id auſus (ait XENOPHON) quod nemo mortalium praeter Socratem ſuſtinuiſſet: Vicitque viri pene dixeram divini incredibilis fortitudo, non id quidem, ut Duces ad populum rei ſalvâ vitâ diſcederent, ſed ut ipſe noxae non implicaretur, quam poſtea Callixenus & Theramenes, quin univerſus Populus Athenienſis luere viſus eſt, a Lacedaemoniis ſub jugum miſſus ac crudeliſſimis Tyrannis ſervire coactus.

Et quae iterum, quaeſo, optimi Civis noſtri, qui ardorem inſanientis Populi placidus ſpreverat, — quae Socratis ſub *triginta* hiſce *Tyrannis*, peſſumdatâ juſtisſimâ etiam libertate, & dum reliqui omnes aut in exilium abiiſſent, aut timidi ſervirent, — quae denique Socratis tum fuit conditio? Non alia quam quae hominis perpetuo liberi conditio eſſe ſolet: Nihil contra Leges fecit; atque, uti ante Populo, ſic & cum Legibus Tyran-

nidi paucorum adverſatus eſt: Et primum quidem, omnis periculi cum civibus ſocius, ſed timoris expers, pedem, quod merito in eo laudat CICERO, portâ non extulit: Graſſabantur tamen Tyranni foediſſime; nec quisquam ſibi aut vitam aut bona ſalva ſperare poterat: Nam, poſtquam opprimendae Libertatis evertendaeque Democratiae gratiâ urbem hoſti prodidiſſent magis quam tradidiſſent, muros dejeciſſent, claſſem & navalia dereliquiſſent, praeſidio freti Spartano, quod Lyſander, illis petentibus, civitati impoſuerat, ipſorum Athenienſium ſumtibus alendum, *Triginta-Viri* iſti impotenter & crudeliter dominabantur: Malebant ſcilicet imperioſis ſervire Lacedaemoniis quam in liberâ civitate ac ſub formâ regiminis populari cum civibus aequo jure vivere: Cumque initium feciſſent a condemnatione & capitali eorum poenâ, qui ſub illâ Reip. formâ calumniam habuerant in quaeſtu falſiſque accuſationibus optimos cives vexaverant, mox ab iſtâ, quam boni non vituperabant, ſeveritate deflectentes ad ſummam injuſtitiam & feritatem, neminem animadvertebant vel dignitate vel opibus eminere, quin eum ſtatim corripi, in carcerem duci, necari juberent; ita ut brevi octo menſium ſpatio, quo Tyran-

rannide potiti ſunt, mille quingentos cives ab iis, indictâ cauſſâ, damnatos ac carnifici ad mortem traditos ISOCRATES aliique teſtentur. Quamquam autem id quod ſentias, etiamſi optimum ſit, tamen non ſemper & ubivis eſt dicendum, tantam hominum atrociſſimorum tamque cruentam immanitatem tacitus ferre non potuit vir humanitatis haud minus quam juſtitiae amans, nec ſibi temperare, quin aliquando hiſce in eos verbis inveheretur. „ Vix dies abit, quin videamus Triginta hoſce Reip. „ noſtrae Moderatores ad necem mittere quamplures, „ eoſque non de peſſimis civibus, plures etiam injuſti„ tiae ſuae facere ſocios: Mirarer, ſi quis boum pa„ ſtor, armenta ſua quotidie minuens & deteriora fa„ ciens, non ab omnibus judicaretur malus eſſe armen„ tarius: Miror autem magis, ſi quis civitati praefe„ ctus, dum quotidie cives de medio tollit aut pejores „ reddit, non erubeſcat, neque exiſtimet, ſe pravum „ eſſe & improbum Reip. gubernatorem." Erat inter iſtos Triginta tum auctoritate, tum feroci audaciâ, princeps Critias, diſciplinae quondam Socraticae alumnus, ſed, quando ab illâ jam deſciverat, (ut improbitas cum ingrato animo conjuncta virum bonum, non niſi benefi-

ciis ſibi cognitum, odiſſe ſolet) inimiciſſimo erga praeceptorem animo. Pupugerat hominem foedum ac turpiſſimae voluptati deditum ſevera Socratis reprehenſio, qua pudendum ipſi amorem exprobraverat. Ad hunc Critiam ſociosque Tyrannos Socratis dicta de minuendis armentis a calumniatoribus, quales oppreſſâ libertate deſunt nunquam, delata ſunt. Itaque, tum veterem tum recentem, injuriam ulturus Critias, cum Charicle ad ſcribendas leges conſtitutus, vetuit, ne quis dicendi artem doceret. Hanc artem non docebat Socrates, niſi quatenus

Dicendi recte ſapere eſt & principium & fons.

Conſtanter ille, quam ſemel ingreſſus erat, viam porro perſecutus eſt. Juvenibus, ut ante, adfuit quotidie, ſemitam illis monſtrans arduam & difficilem, ſed ſolidae laudis frugiferam, qua per virtutem ad veram felicitatem eniterentur. Igitur Socratem coram ſe & Charicle arcesſere non puduit Critiam, — eum ipſum Socratem, virum innocentiſſimum, cujus (ut olim Alcibiades) vel ſolum adſpectum vereri & formidare debuerat bipedum nequiſſimus: Verum talia tulit reſponſa, quae ipſum rubore ſuffunderent: Cumque nec torvo Tyrannorum vul-

tu

tu conturbatus, nec minis territus, nec dicteriis commotus Philosophus suâ vicissim, salsâ illa & acutâ, ironiâ uteretur, tandem eum dimiserunt interminati, caveret ne & ipse aliquando gregem minueret, i. e. ne ipse inter illos foret, qui propediem tollerentur: Sed mortem a Tyrannis intentatam contemnebat, qui in eâdem fere caussâ paucos post annos ad Populum accusatus, " si
„ me, aiebat, Athenienses, jamjam absoluturi essetis,
„ hac conditione positâ, ut nunquam posthac in hisce
„ disputationibus & sapientiae studio versarer; quod
„ si iterum id committens deprehenderer, mortem tum
„ mihi fore decretam; — si hac igitur conditione me
„ dimittere velletis, responderem vobis: *Amo vos*,
„ *o! Cives mei Athenienses! totoque pectore complector*;
„ *sed Numini parebo potius quam vobis.*"

Quam autem liber sit, qui mortem non metuat, plus semel sub istâ Tyrannide factis demonstravit Socrates. Raro inter improbos perdurat concordia: Nam, quando non omnibus eadem est pravitatis ratio, non idem malitiae modus, qui inter malos pessimus est, molestum inter socios monitorem ferre non potest. Id brevi enatâ inter Critiam & Theramenem animorum disjunctione

patuit: Cum enim Theramenes dubius eſſet inter meliora, quae videbat probabatque, ac deteriora, quae pravâ ambitione in transverſum actus ſequebatur, tandem ab extremâ iſta Critiae caeterorumque crudelitate abhorruit: Atque, uti paulo ante Quadringentorum potentiam, cujus fuerat particeps, everterat, ita nunc etiam ſociorum Tyrannidi adverſabatur: Quod cum iis displiceret, auctore & impulſore Critia, per vim & arma capite damnatus eſt; ac nequicquam Legum atque inſtitutorum patriorum fidem imploravit: Sed nimirum urgebat virum, infelicem dicam an merito ſuo jam miſerum, *Vindicta Divina*, poenam poſcens ſanguinis, cujus injuſte profundendi, necatis ſine ullo crimine ſex Ducibus, Populo Athenienſi ante aliquot annos auctor fuerat, quemadmodum paucos poſt menſes haud lento illa greſſu Critiam quoque adſecuta eſt. Recordabatur tamen Socrates, Theramenem a ſe quondam edoctum; recordabatur plura illius in Remp. exſtare merita; noverat, ne nunc quidem omnis virtutis exſortem, quin ſolum forte in Triginta-Virorum Concilio, cui civium ſalus foret cordi. Idcirco, dum liberrimus ille nuper Athenienſis Populus jam attonitus ſpectaret Conſeſſum armis ſtipatum; Prae-

ſidia-

fidiarios peregrinos Tribunal & Forum obfidentes; proculcatas Leges; violatos mores patrios; virum illuftrem contra omne jus & fas damnari, ex arâ, in quam infilierat, per vim fummâque cum injuriâ detrahi, a turpiffimo Satyro viliumque fatellitum cohorte per urbem raptari; dum omnes, inquam, perculfi ftarent, flerent, horrerent, filerentque, folus cum duobus aliis, ne Therameni vis fieret, lictoribus fe objecit Socrates, neque ab incepto deftitit, nifi ad preces ipfius Theramenis, acerbiora fibi fore poftrema fata dicentis, fi illos, qui tam amice, tam intrepide, pro fuâ falute fe interponerent, dum irritus caderet conatus, in eandem ipfe fecum pertraheret calamitatem.

Illud fortitudinis animique periculo majoris documentum, dum cuncti fervitutem fuam lacrymarentur, in frequentiâ civium edidit Socrates: Aliud memorabo, quo idem pectoris probavit robur, fuae ipfe virtutis confcius cum paucis. Non fatis habebant deteftabiles ifti Triginta-Viri caedibus ac rapinis in vitam fortunafque praeftantiffimorum civium graffari; verum, qui ejusmodi Tyrannis mos eft, operam dabant, ut quam plurimos iisdem facinoribus implicarent, eo firmiorem arbitrati

po-

potentiam ſuam, quo plurium intereſſet, ut patrata ſub Tyrannide crimina impunita manerent. Igitur ſolebant, ſi quem morti deſtinaſſent, aliis civibus mandare, ut victimam arceſſerent curarentque mactandam. — " Et „ haec quidem (Socratis, referente PLATONE, ſunt „ verba) — & haec quidem in iſtis Comitiis, ubi Du- „ ces damnati ſunt, egi, quum Civitas noſtra formâ „ regiminis populari adhuc uteretur. Sub Oligarchiâ „ vero, quae inſecuta eſt, Triginta-Viri me cum qua- „ tuor aliis arceſſiverunt in Curiam, quae in Tholo eſt, „ juſſeruntque Leontem Salaminium ex iſtâ inſulâ ad- „ ducere interficiendum: Quippe & aliis multis multa „ injungebant talia, ut complures culpae ſibi ſocios red- „ derent. Tunc ego non verbis ſed facto demonſtravi, „ mihi mortem non eſſe curae, (quamvis forte rudius „ loqui videar,) — mortem, inquam, non eſſe curae, „ ne hilum quidem; id autem unice mihi cordi eſſe, ne „ quid injuſte, ne quid nefarie facerem. Etenim me „ iſtorum Triginta hominum dominatio, quam ſaeva & „ impotens, nunquam ita perterruit, ut quicquam contra „ jus committerem. Itaque, ut Tholo egreſſi ſumus, „ caeteri quatuor mecum arceſſiti Salamina profecti ſunt

„ ad-

„ adduxeruntque Leonta; ego vero domum abii: Ac „ ſolam propter hanc cauſſam forte & ipſe ad mortem „ fuiſſem raptus, niſi brevi poſt iſtud paucorum im„ perium fuiſſet everſum."

Et quis, animadvertite, AUDITORES, quis inter quatuor illos reliquos fuit, qui hominem inſontem, ad juſſa Tyrannorum domo extractum, capitali ſupplicio adfecerunt? quis ad ſervitutem tam nefarie promtus? Melitus, AUDITORES! — idem ille Melitus, qui triennio poſt Socratem accuſavit, tanquam qui Democratiae Atticae inimicus ac juventuti faſtidiundae illius formae eſſet auctor. — Atque hic, AUDITORES, ad ultima progrediendum nobis foret Socratis fata, damnationemque, quam, cum ſub Tyrannis evaſiſſet, liberâ iterum Civitate non evaſit. Hic larva Anyto detrahenda, — Anyto iſti, qui, dum inter vindices Libertatis ſtatoreſque reſtitutae Reip. ſe cum Thraſybulo cenſeri gloriaretur, Philoſophumque noſtrum traduceret, ut qui Deos contemneret, religionem, leges, mores Populi liberi irrideret, Alcibiadem Critiamque a ſe corruptos Athenis impoſuiſſet, Civitatem denique praeceptis & exemplo perturbare, labefactare, evertere conaretur; — Anyto

F iſti,

isti, inquam, qui, dum absurda haec crimina in virum sanctissimum confingeret, privata odia, suas iras, spretumque, quo Alcibiadem olim deperierat, amorem ulciscebatur: Nam caste amari a formoso juvene continentissimum sed pauperrimum sapientiae magistrum, dum ipse, homo potens ac dives, ab Alcibiade rideretur, — id vero erat, quod nec ferre neque oblivisci poterat ferocientis Demagogi superbia; id erat, quod jam sub personâ illius, qui Patriam Patriaeque Deos tuebatur scilicet! vindicare se posse arbitrabatur. — Larva Accusatoribus Socratis foret detrahenda: Ostendendum, quid obrepens sensim sensimque valeat improbissimae & impudentissimae calumniae virus; quae calumniatorum sint artes, tum maxime quando ab homine aliquo ingenioso sed nequam, qualis fuit Aristophanes, adjuvantur; quae Socratis fuerit integritas, constantia, fides; quae religio; quod sub iniquissimorum judicum fremitu inconcussum pectoris robur; quae frontis serenitas; quae in carcere tranquillitas animi & patientia; quam obfirmata ad parendum Legibus voluntas, quando, dum fugere apertâ portâ liceret, urgente fidissimo amico Critone, jura Patriae se in extremo vitae limine violaturum negavit,

vit,

vit, qui nunquam violaſſet: Depingenda vividiſſimis, quibus poſſem, coloribus morituri jamjam Socratis imago & ad meliorem vitam migratio. — Verum neque benevolentiâ, quam in me audiendo praeſtitiſtis, abutendum eſt, neque ſolemnis hic dies emortuali, ut ita dicam, cupreſſo funeſtandus.

Itaque en vobis, AUDITORES HUMANISSIMI, Civis vere boni, vere fortis, vere ſapientis, vere utilis, in Socrate depictam, aut pro viribus meis adumbratam potius, imaginem: Neque quidquam ſupereſt, niſi ut iſtis reſpondeam temporum noſtrorum vituperatoribus, qui longe ea abeſſe ab antiquorum illâ Virtute Civili & a perfectione exemplaris Socratici queruntur. — Vidimus, vidimus, AUDITORES, nuper hiſce oculis vidimus, nunc deflemus & diu deflebimus, in quo juvene etiamnum eadem, quae in viro hoc immortali, Patriae erat caritas, idem moderatae Libertatis amor, idem in malos cives odium a pravo tamen partium ſtudio alienum, idem non fucatae ſapientiae cultus, cum comitate conjunctus ingenui pectoris candor, cum verecundiâ gravitas, cum humanitate conſtantia, cum ſuavitate generoſae indolis robur, cum igneae mentis acumine modeſtia, tum ſagaci-

 tas,

tas, incorruptus veri & pulchri ſenſus, indefeſſa laboris tolerantia, denique (qua parte Socrati ſimillimus erat) in conciliandis ſibi juvenum vere nobilium animis mira dexteritas, in excitandis ad omnem laudem & praeſtantiam incredibilis quaedam vis & felicitas. Vos, quotquot hic adeſtis, Batavae Palladis alumni, — vos praeſertim, qui praeceptori amici magis fuiſtis quam diſcipuli, — vos, AUDITORES reliqui, — vos, quos ante alios omnes appellare debueram, COLLEGAE CONJUNCTISSIMI, — vos omnes ad teſtimonium voco. — Dicite, dicite, quam ſimilis amore in cives ſuos, benevolentiâ & officiis erga amicos, ardore in ſtudia ſapientiae, omnemque doctrinam fructuoſam & utilem, arte & bonitate in formandis generoſorum juvenum animis, — quam ſimilis denique propemodum per ſingula Socrati fuerit NIEULANDIUS, quondam, eheu! veſter, Nieulandius quondam (quod non ſine ſummo luctu, ſed aliquâ etiam cum mutuae amicitiae ſuperbiâ, dico) — Nieulandius, eheu! meus. Nam de PETRO NIEULANDIO me loqui, dudum intelligitis, AUDITORES. Memini, quid de *Virtute Civili* ſenſerit vir optimus; memini, quid mecum ſaepius locutus. Sed

iſta

ista est, proh dolor! quae natali huic solo, quae Academiae praesertim nostrae incumbere videtur, fatalis pestiferi sideris malignitas! — Ante diem rapiuntur boni! — Plura me dicere prohibet infixus intimis medullis moeror. — Vos autem, MINERVAE LEIDENSIS PATRONI, — vos, qui quantam in Nieulandio jacturam illa fecerit, me etiam tacente, palam fatemini, — vos, qui in illo experimentum vidistis, quam in Academiâ hac vestrâ prosit vir verae Libertatis amans, sed idem justi & aequi tenax, — vos, si fieri possit, NIEULANDIO supparem reperiatis!

D I X I.

Vult plane Virtus honorem; nec eſt Virtutis ulla alia merces, quam tamen illa accipit facile, exigit non acerbe: Sed, ſi aut ingrati univerſi, aut invidi multi, aut inimici potentes ſuis Virtutem praemiis ſpoliant, *nae illa ſe tamen multis ſolatiis oblectat, maximeque ſuo decore ſe ipſam ſuſtentat!*

CICERO Fragm. Lib. III. de Republicâ.

PROBATIONES ET ADNOTATIONES.

Pag. 7. in f. *Socratem, cui difficillima uxoris indoles* &c.] Classicus Xenophontis locus est in Symposio (pag. 511. ed. Steph.) ubi Xanthippe dicitur γυνὴ τῶν οὐσῶν, καὶ τῶν γεγενημένων, καὶ τῶν ἐσομένων χαλεπωτάτη. — Ὁρῶ, inquit Socrates, καὶ τοὺς ἱππικοὺς βουλομένους γενέσθαι, οὐ τοὺς εὐπειθεστάτους, ἀλλὰ τοὺς θυμοειδεῖς ἵππους κτωμένους· Ex eo sua habet Diog. Laert. Lib. II. §. 37. ad quem pleraque quae de Xanthippe dici possunt collegit *Aeg. Menagius*, omisso tamen AEliani loco, quem mox ob oculos habui, Var. Hist. Lib. IX. Cap. 7. Ἔλεγεν ἡ Ξανθίππη, ὡς μυρίων μεταβολῶν τὴν πόλιν καταλαβουσῶν, ἐν πάσαις ὅμοιον ἦν τὸ Σωκράτους πρόσωπον, καὶ προϊόντος ἐκ τῆς οἰκίας, καὶ ἐπανιόντος, ἀεὶ διάγοι. Ἥρμοστο γὰρ πρὸς πάντα ἐπιεικῶς, κ. τ. λ. Quae autem Aelianum, ipsis propemodum verbis, uti solet, descripsisse ex *Dionysii Halicarnassei* Eclogis, novimus indicio Stobaei, Serm. cvi. pag. 572. Cic. Tusc. Disp. Lib. III. Cap. 15. *Hic est enim ille voltus semper idem, quem dicitur Xanthippe praedicare solita in viro suo fuisse Socrate; eodem semper se vidisse exeuntem illum domo, & revertentem.* — Seneca de Irâ Lib. II. Cap. 6. *Et quid indignius, quam sapientis affectum ex alienâ pendere nequitiâ? desinet ille Socrates posse eundem vultum domum referre, quem domo extulerat.* — Conf. Gatak. *ad M. Anton.* Lib. I. §. 8. Interpp. ad Aelianum & Davisium ad *Cic.* dd. ll. — Eadem laus Catonis Uticensis, cui plura cum Socrate fuerunt similia, apud Senecam Ep. civ. (pag. 511. ed. Gron.) *Nemo mutatum Catonem, toties mutatâ Republicâ, vidit: Eundem se in omni statu praestitit: In Praeturâ, in repulsâ, in accusatione, in Provinciâ, in concione, in exercitu, in morte, denique in illâ Reip. trepidatione, cum illinc Caesar esset decem Legionibus pugnacissimis subnixus* &c. — Quo in loco, si voces *in morte* abessent, equidem non requirerem: Saltem sic scripsisse Senecam non arbitror, sed potius: *in exercitu,*

in

in morte denique & illâ Reip. trepidatione, cum illinc Caesar esset &c. Tum apte sequitur: *Ait se, si Caesar vicerit, moriturum; si Pompejus exsulaturum. — Periit itaque ex decreto suo.* — Paulo post quae de Lamprocle a me dicuntur, solius quidem, quod noverim, nituntur testimonio ejusdem Senecae (ibid. pag. 520.) *Si tamen exemplum desideratis, accipite Socratem, perpessicium senem, per omnia aspera jactatum, invictum tamen & paupertate, quam graviorem illi domestica onera faciebant, & laboribus, quos militares quoque pertulit, & quibus ille domi exercitus; sive uxorem ejus spectes moribus feram, linguâ petulantem, sive liberos indociles, & matri quam patri similiores.* — Illa quippe de uno Lamprocle intelligenda videntur, qui, vivo Patre, adolescens jam erat; reliqui duo, Sophroniscus & Menexenus, pueritiam nondum egressi. Ὥςε καὶ οἰκεῖοί μοι εἰσὶ καὶ υἱεῖς γε τρεῖς. εἷς μὲν μειράκιον ἤδη, δύο δὲ παιδία, ipse ait in Apologiâ Platonicâ. — Sed Lamproclem reverâ iracundo erga Xantnippen, morosam quidem & difficilem, matrem tamen, fuisse animo, patet ex amicâ admonitione Patris, quam memorat Xenophon Ἀπομν. Lib. II. Cap. 2. (ed. Ernest. pag. 431. ed. Steph.) quamque mox respicio.

Pag. 8. *Faciles cum puero ludi* &c.] Καὶ Σωκράτης δὲ κατελήφθη ποτὲ ὑπὸ Ἀλκιβιάδου παίζων μετὰ Λαμπροκλέους ἔτι νηπίου. Aelian. V. H. Lib. XII. Cap. 15. ubi vulgo cognita hanc in rem *Senecae* & *Valerii Maximi* loca habet *Perizonius.*

Pag. 9. *Ex aureo* Memorabilium *Libello* &c.] Magna pars Libri secundi in hoc argumento versatur, (in editionibus Ernestinis Capp. 4. & seqq. usque ad finem.)

Ibid. *Qui in praeceptis non prudentiae tantum Civilis sed artis etiam Militaris* &c.] Civilis prudentiae praecepta quot & qualia dederit Socrates, si Platoni non credamus, Xenophonti tamen fides erit habenda. Quamquam enim sic existimo, sub Socratis personâ suam plerumque sententiam expromsisse Platonem, germanamque illam sapientiam Socraticam ex Libellis Xenophontéis rectius peti, fieri tamen haud potuit, quin fundus Dialogorum Platonicorum, *inclyti* praesertim *illius operis* (ut Gellii verbis utar) *quod de optimo statu Reip. Civitatisque administrandae scripsit Plato*, sermones fuerint a praeceptore habiti: Et de Xenophonte quidem, (quamvis in tradendâ doctrinâ Socraticâ fido magis interprete,) pariter

cen-

censeo, hominem militarem, cui sapientiae studium in bello erat comes, ingenio quoque indulsisse suo, quando sermones nobis refert, de arte & officio Imperatoris summi, aut Praefecti equitum, a Socrate habitos, (Lib. III. Ἀπομν. init.) quod qui Cyropaediam quidem cum illis sermonibus comparaverit, negabit nemo. Igitur jure dixisse mihi videor, praecepta prudentiae civilis artisque etiam militaris tradidisse Socratem, tam luculenter & vere, ut suae aetatis Sophistas, qui in simili argumento aliquando versabantur, longo post se intervallo reliquerit, etiamsi id nec tam ornate, nec tam acute, forte fecerit, quam in suâ quisque arte haec scripserint & Xenophon & Plato.

Pag. 9. *In exercitu meruit miles gregarius;*] Σωκράτης δὲ ἐστρατεύσατο τρίς, inquit AELIANUS Var. Hist. Lib. VII. Cap 14 qui Lib. III. Cap. 17. singulas hasce expeditiones enumerat, temporis ordine dispositas a *Perizonio* in Notis: Huic autem praeiverat, de rebus Socraticis praeclare meritus, LEO ALLATIUS ad Epist. Socr. pag. 144. Conf. DIOG. LAERT. Lib. II. §§. 22. 23. & MENAG. in Observat. ad istum locum. — Caeterum, ne quisquam suspicetur PLATONI, cujus verba mihi saepius ad testimonium sunt citanda, Latine a me aliquid esse adfictum, quod haud sit in Graecis, iis maxime locis, quae duriora seu in Populum Atheniensem, seu in Libertatis abusum, dicam, an licentiam popularem, hodie videantur, constitui in hisce qualibuscunque *Notis* aut *Probationibus* singula Platonica Graece adjungere, quae Latine a me in ipsâ Oratione referuntur. En igitur verba Socratis in *Apolog.* (pag. 28. D. ed. Steph.) οὕτω γὰρ ἔχει, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τῇ ἀληθείᾳ (uti Achilles apud HOM. Il. Σ. v. 98. αὐτίκα τεθναίην,) οὗ ἄν τις ἑαυτὸν τάξῃ, ἡγησάμενος βέλτιστον εἶναι, ἢ ὑπὸ ἄρχοντος ταχθῇ, ἐνταῦθα δεῖ, ὡς ἐμοὶ, μένοντα κινδυνεύειν, μηδὲν ὑπολογιζόμενον, μήτε θάνατον, μήτε ἄλλό τι μηδὲν πρὸ τοῦ αἰσχροῦ. Ἐγὼ οὖν δεινὰ ἂν εἴην εἰργασμένος, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, εἰ ὅτε μέν με οἱ ἄρχοντες ἔταττον, οὓς ὑμεῖς εἵλεσθε ἄρχειν μου, καὶ ἐν Ποτιδαίᾳ, καὶ ἐν Ἀμφιπόλει, καὶ ἐπὶ Δηλίῳ, τότε μὲν οὗ ἐκεῖνοι ἔταττον, ἔμενον ὥσπερ καὶ ἄλλος τις, καὶ ἐκινδύνευον ἀποθανεῖν· τοῦ δὲ Θεοῦ τάττοντος (ὡς ἐγὼ ᾠήθην τε καὶ ὑπέλαβον) φιλοσοφοῦντά με δεῖν ζῆν κ. τ. λ. — Alter, quem prae oculis habui, PLATONIS locus est in Critone (Tom. I. Opp. pag. 51. B.) ἐάν τε εἰς πόλεμον ἄγῃ τρωθησόμενον ἢ ἀποθανούμενον, ποιητέα ταῦτα, καὶ τὸ δίκαιον οὕτως ἔχει, καὶ οὐχ ὑπεικτέον, οὐδὲ ἀναχωρητέον, οὐδὲ λειπτέον τὴν τάξιν, κ. τ. λ.

Pag. 10. in f. *Ad Delium quidem sic pugnavit, &c.*] PLATONIS

locus

locus est in Lachete Tomo II. Opp. pag. 181. B. *ὡς ἐγὼ ϗ ἄλλοθί γε αὐτὸν ἐθεασάμην οὐ μόνον τὸν πατέρα ἀλλὰ ϗ τὴν πατρίδα ὀρθοῦντα· ἐν γὰρ τῇ ἀπὸ Δηλίου φυγῇ μετ' ἐμοῦ συνανεχώρει. κἀγώ σοι λέγω, ὅτι, εἰ ἄλλοι ἤθελον τοιοῦτοι εἶναι, ὀρθὴ ἂν ἡμῶν ἡ πόλις ἦν, ϗ οὐκ ἂν ἔπεσε τὸ τοιοῦτον πτῶμα.* Sequentia expressi ex DIOGENE LAERTIO Lib. II. §. 23. *ἐστρατεύσατο γοῦν εἰς Ἀμφίπολιν· ϗ Ξενοφῶντα ἀφ' ἵππου πεσόντα, ἐν τῇ κατὰ Δήλιον μάχῃ, διέσωσεν ὑπολαβών· ὅτε ϗ πάντων φευγόντων Ἀθηναίων, αὐτὸς ἠρέμα ἀνεχώρει, παρεπιστρεφόμενος ἡσυχῇ, ϗ τηρῶν ἀμύνασθαι, εἴ τις οἱ ἐπέλθοι· ἐστρατεύσατο δὲ ϗ εἰς Ποτίδαιαν διὰ θαλάττης κ. τ. λ.* Hostes Boeotos Socratis fortitudine absterritos, ne fugientibus instarent, solus scripsit Philosophorum Graecorum aetate ferme postremus, SIMPLICIUS ad Epict. Cap. 31. documento, quantum fama crescat eundo per saecula, aut potius quam ament juniores facta a veteribus accepta augere etiam supra fidem. Vid. MENAG. Observ. ad d. *Diog. Laert.* locum, LEON. ALLAT. ad Epist. Socr. pag. 145. —— Sequentia STRABONIS sunt Lib. IX. pag. 618. *ἐν δὲ τῇ φυγῇ πεσόντα ἀφ' ἵππου Ξενοφῶντα τὸν Γρύλλου ἰδὼν κείμενον Σωκράτης φιλόσοφος στρατεύων πεζὸς, τοῦ ἵππου γεγονότος ἐκ ποδῶν, ἀνέλαβε τοῖς ὤμοις αὐτοῦ, ϗ ἔσωσεν ἐπὶ πολλοὺς σταδίους, ἕως ἐπαύσατο ἡ φυγή.* —— Denique, quae de divinante Socratis sapientiâ diximus, auctorem habent Antipatrum apud CIC. *de Divin.* Lib. I. Cap. 54. *Idem etiam Socrates, cum apud Delium male pugnatum esset, Lachete Praetore, fugeretque cum ipso Lachete; ut ventum est in trivium, eâdem qua caeteri fugere noluit; quibus quaerentibus, cur non eâdem viâ pergeret, detineri se a Deo dixit. Tum quidem hi qui aliâ viâ fugerant, in hostium equitatum inciderunt:* Ubi *Davisius* non neglexit pleniorem narrationem, traditam ab Auctore *Epistolarum Socraticarum*, personato quidem scriptore, cui plura tamen debemus ex Commentariis de Socrate hodie deperditis petita, atque ad rem suam accommodata, pag. 6. 7. Ex illo autem, ex Platone etiam ac Cicerone, haud uno loco emendandus est PLUTARCH. *de Genio Socrat.* pag. 581. D.

Pag. 11. in f. *Contubernalem in obsidione Potidaeae hunc Cliniae filium habebat Socrates.*] Testem laudare satis sit PLUTARCHUM *in vitâ Alcibiadis* pag. 12. ed. Bryan. (Tom. I. Opp. pag. 194. E) A Plutarcho autem solo, quod sciam, discimus, Socrati vices dein reddidisse Alcibiadem, quum equo vectus peditem Socratem in istâ, de quâ modo agebamus, ad Delium fugâ comitatus est & ab hostium impetu vindicavit: *ἔτι δὲ τῆς ἐπὶ Δηλίῳ μάχης γενομένης, ϗ φευγόντων Ἀθηναίων, ἔχων ἵππον ὁ Ἀλκιβιάδης, τοῦ δὲ Σωκράτους πεζῇ μετ' ὀλίγων ἀποχωροῦντος, οὐ παρήλασεν ἰδὼν, ἀλλὰ παρέπεμψε ϗ*

περι-

ἐπήμυνεν, ἐπικειμένων τῶν πολεμίων, καὶ πολλοὺς ἀναιρούντων. — Καὶ ταῦτα μὲν ὕστερον ἐπράχθη, inquit Plutarchus, rationem temporis recte fervans, quam ad AElianum oftendit Perizonius. — Conf. Diog. Laert. Lib. II. §. 23.

Pag. 12. *Seu militiae effet feu domi, Magiftratibus atque Imperatori obfequi, in iis quae Leges juberent, ipfi non erat nifi officium facere.*] Vere de fe ad improbum Critiam fociumque Chariclem Philofophus, ἐγὼ τοίνυν, ἔφη, παρεσκεύασμαι μὲν πείθεσθαι τοῖς νόμοις· Mem. Lib. I. Cap. 2. §. 34. (ed. Erneft. pag. 417. ed. Steph.) nec minus vere de illo Xenophon ib. Lib. IV. Cap. 4. §. 1. (ed. Erneft. pag. 468. ed. Steph.) Ἀλλὰ μὴν καὶ περὶ τοῦ δικαίου γε οὐκ ἀπεκρύπτετο, ἣν εἶχε γνώμην, ἀλλὰ καὶ ἔργῳ ἀπεδείκνυτο, ἰδίᾳ τε, πᾶσι νομίμως τι καὶ ὠφελίμως χρώμενος, καὶ κοινῇ, ἄρχουσί τε, ἃ οἱ νόμοι προστάττοιεν, πειθόμενος καὶ κατὰ πόλιν καὶ ἐν ταῖς στρατείαις οὕτως, ὥστε διάδηλος εἶναι παρὰ τοὺς ἄλλους εὐτακτῶν. —— Huc maxime pertinet egregia pars Dialogi, quem cum Critone, fugam ex carcere ipfi fuadente, a Socrate habitum defcribit Plato, ubi ipfas Leges ex fe quaerentes fingit Philofophus: Ἀλλ' ὧδε σκόπει. εἰ μέλλουσιν ἡμῖν ἐνθένδε εἴτε ἀποδιδράσκειν, εἴθ' ὅπως δεῖ ὀνομάσαι τοῦτο, ἐλθόντες οἱ νόμοι καὶ τὸ κοινὸν τῆς πόλεως, ἐπιστάντες ἔροιντο· Εἰπέ μοι, ὦ Σώκρατες, κ. τ. λ. Divina profecto verba funt, quum ait: " Tune tam „ fapiens fueris, ut ignores tamen, Patriam & matre & patre & omnibus „ majoribus tuis magis tibi effe colendam, magis venerandam, magis fan„ ctam, potiori denique loco & a Diis habendam & ab hominibus, qui„ cunque quidem rectâ ratione utantur &c." Tomo I. Opp. pag. 50. 51. Legiffe haud poenitebit *Anacharfin* Gallicum Cap. 67. §. *Ses leçons n'étoient* &c. —— Jure igitur fuo ad Cives in *Apologiâ* dicentem facit Plato, τοῦ δὲ μηδὲν ἄδικον μηδ' ἀνόσιον ἐργάζεσθαι, τούτου δὲ τὸ πᾶν μέλει. Tom. I. pag. 32. D. & Critonem (ib. pag. 45. D.) φάσκοντά γε δὴ ἀρετῆς διὰ παντὸς τοῦ βίου ἐπιμελεῖσθαι. ——

Ibid. *Ipfe neque feditionis, neque proditionis, neque mali cujuscunque exftitit auctor.*] Ipfa Xenophontis verba Ἀπομν. Lib. I. Cap 2. §. 63. (pag. 420. ed. Steph.) haec funt: ἀλλὰ μὴν τῇ πόλει γε οὔτε πολέμου κακῶς συμβάντος, οὔτε στάσεως, οὔτε προδοσίας, οὔτε ἄλλου κακοῦ οὐδενὸς πώποτε αἴτιος ἐγένετο. — Igitur ad judices profeffum Socratem vere fcribit Plato, quum iftâ tempeftate popularem effe, aut faltem cauffae popularis ftudium adfectare, propereaque fe conjurationibus ac feditionibus inmifcere, planiffima via foret ad rem faciendam, nihil tamen eorum fe unquam ad-

misisse, in Apologiâ Tomo II. pag. 36. B. ὅ τι μαθὼν ἐν τῷ βίῳ οὐχ ἡσυχίαν ἦγον, ἀλλ' ἀμελήσας ὧνπερ οἱ πολλοὶ, χρηματισμοῦ τε καὶ οἰκονομίας καὶ στρατηγιῶν, καὶ δημηγοριῶν, καὶ τῶν ἄλλων ἀρχῶν, καὶ ξυνωμοσιῶν καὶ στάσεων τῶν ἐν τῇ πόλει γιγνομένων, ἡγησάμενος ἐμαυτὸν τῷ ὄντι ἐπιεικέστερον εἶναι ἢ ὥστε εἰς ταῦτα ἰόντα σώζεσθαι· —— Atque ita animatus hominem factiosum, quique civilia odia, studio partium, exerceret, ex amicorum numero arcendum existimabat. De amicis deligendis ac conciliandis cum Critobulo agens, τί δέ; inquit, ὅστις στασιώδης τέ ἐστι καὶ θέλων πολλοὺς τοῖς φίλοις ἐχθροὺς παρέχειν; — φευκτέον, νὴ Δία, καὶ τοῦτον· respondet Critobulus Ἀπομν. Lib. II. Cap. 6. (pag. 436. ed. Steph.)

Pag. 13. *Liberam adhibebat contumaciam, quam a magnitudine animi ductam ait* CICERO, *non a superbiâ.*] Tusc. Quaest. Lib. I. Cap. 29. *Contumax* is Tullio est, quem ἰσχυρογνώμονα dicit DIOG. LAERT. Lib. II. §. 24. ἦν δὲ (Σωκράτης) ἰσχυρογνώμων καὶ δημοκρατικὸς, ὡς δῆλον ἔκ τε τοῦ μὴ εἶξαι τοῖς περὶ Κριτίαν, κ. τ. λ. Illaque *contumacia* quum erga superiores, potentiâ abusos, a viro bono & cordato maxime sit exspectanda, eam tanto luculentius probavit Socrates, quanto magis, talibus hominibus adulari aspernatus, contemtor illorum erat & derisor. SENECA *de Benef.* Lib. V. Cap. 6. *Quare ergo hoc Socrates dixit? Vir facetus, & cujus per figuras sermo procedere solitus erat, derisor omnium, maxime potentium.*

Pag. 14. *Ad Remp. gerendam Charmidem aliosque hortatus est.*] Disputatio, qua Charmidem ad capessendam Remp. cohortatus est, exstat apud XENOPH. Ἀπομν. Lib. III. Cap. 7. (ed. Ern. pag. 451. ed. Steph.) quem locum respicit DIOG. LAERT. Lib. II. §. 30. Quin & ipsum Alcibiadem, in primâ (ut videtur) juventute valde diversum ab eo, qui fuit postea, ut, posito omni timore, ad populum in concione prodiret, excitavit Socrates, narrante AELIANO Var. Hist. Lib. II. Cap. 1. Aristippi reprehensio est Ἀπομν. Lib. II. in ipso initio, quam certe reprehensionem prorsus confictam a Xenophonte fuisse haud existimo, etiamsi in illâ exaggerandâ aliquid forte fuerit simultatis, neque adeo falsum omnino sit, quod tradit DIOG. LAERT. Lib. II. §. 65. nam aculeatum est, primum dicere: γνοὺς δέ τινα τῶν συνόντων ἀκολαστοτέρως ἔχοντα πρὸς τὰ τοιαῦτα· statimque subjicere, εἰπέ μοι, ἔφη, ὦ Ἀρίστιππε κ. τ. λ. — Sermo Socraticus cum Pericle juniore habitus refertur Ἀπομν. Lib. III. Cap. 5. (ed. Ern. pag. 447. ed. Steph.) — Quando autem saepius & apud Platonem & apud Xenophontem de administrandâ Rep. & officio Imperantium ac Magistratuum dis-

differit Philofophus nofter, ironiam Socraticam adfectavit, quisquis ille fuerit, rerum Socraticarum peritiffimus Auctor *Epiftolarum Socraticarum*, quum Epift. I. pag. 8. Archelao (ad hunc enim fcripta, judice Allatio, & recte, opinor, Epiftola fingitur) ita refpondentem facit: ἐγὼ δὲ μεμαθηκέναι τε ἄρχειν οὔ φημι, μὴ εἰδὼς τε οὐκ ἂν δεξαίμην μᾶλλον βασιλεύειν, ἢ ΚΥΒΕΥΕΙΝ, μὴ ἐπιστάμενος· οἶδα δὲ, ὅτι εἰ καὶ οἱ ἄλλοι ἄνθρωποι ὁμοίως διέκειντο, ἧττον ἂν ἦν κακὰ ἐν τῷ βίῳ· νῦν δὲ ἡ τῶν μὴ ἐπισταμένων τόλμα ἐπιχειροῦντα οἷς μὴ ἴσασιν, εἰς τοῦτο ταραχῆς αὐτὰ προάγει· ὅθεν καὶ τὴν τύχην ἔτι μείζω πεποίηκεν, τῇ ἐκείνων ἀνοίᾳ τὴν ταύτης ἐξουσίαν αὐξάνουσα· *Equidem imperandi artem me didicisse, non exiftimo: Ejus autem imperitus, regis officio fungi haud magis vellem, quam aleâ ludere, ludendi imperitus. Novi etiam, fi alii homines eodem modo effent animati, fore ut pauciora mala nobis effent in hac vitâ. Nunc vero audacia eorum, qui omnium rerum funt rudes, iisque tamen fe immifcent tractandis, quae ignorant, — ejusmodi audacia nos eo usque provexit turbarum, in quibus verfamur: Unde factum, ut fortuna plus valeat, quum amentia illorum hominum caecae fortis auxerit dominationem.* — Veriffimam, & noftri quoque aevi experientiâ confirmatam, fententiam eo lubentior adfcripfi, ut illam vitio liberem. Anne aliqua *aleae ars* eft, an *jaciendae aleae* eft *fcientia?* Si fit, dolus eft, non difciplina: Et Socrates quidem τοὺς κυβεύοντας, ἤ τι ἄλλο πονηρὸν καὶ ἐπιζήμιον ποιοῦντας, ἀργοὺς ἀπεκάλει, aleaeque lufum inter ὀνείδη referebat, Ἀπομν. Lib. I. Cap. 2. §. 57. (ed. Ern. pag. 419. ed. Steph.) Digna funt quae hanc in rem conferantur, *Salmafiana* praefertim, apud GATAK. ad M. Ant. Lib. I. §. 8. — Ergone defipuit Sophifta? — aut quid illi eft κυβεύειν ἐπίστασθαι; — Sed vero fcripfit ἢ ΚΥΒΕΡΝΑ͂ΙΝ, μὴ ἐπιστάμενος· Optimam lectionem debeo Codici Helmftadienfi, cujus penes me eft a Reiskio inftituta collatio. — Atque fic reverâ loqui folent Socratici, quibus quam frequens fit regundi Remp. cum arte gubernandi navem comparatio, non eft quod dicam. In illo, quem mox referam, loco, λέγων ὡς μωρὸν εἴη τοὺς μὲν τῆς πόλεως ἄρχοντας ἀπὸ κυάμου καθίστασθαι, κυβερνήτῃ δὲ μηδένα θέλειν κεχρῆσθαι κυαμευτῷ κ. τ. λ. Ἀπομν. Lib. I. Cap. 2. §. 9. (ed. Erneft. pag. 415. ed. Steph.) cum quo loco jungendus eft alter ibid. Lib. III. Cap. 9. §. 11. (pag. 454. ed. Steph.) Ὁπότε γάρ τις ὁμολογήσειε τοῦ μὲν ἄρχοντος εἶναι τὸ προστάττειν ὅ τι χρὴ ποιεῖν, τοῦ δὲ ἀρχομένου τὸ πείθεσθαι, ἐπεδείκνυεν, ἔν τε νηὶ τὸν μὲν ἐπιστάμενον ἄρχοντα, τὸν δὲ ναύκληρον καὶ τοὺς ἐν τῇ νηὶ πάντας, πειθομένους τῷ ἐπισταμένῳ — Verum & de aliis rebus eadem comparatio, eademque verba, reperiuntur; e. gr. Ἀπομν. Lib. II. Cap. 6. §. 38. (ed. Erneft. pag. 439. ed. Steph.) εἰ γάρ σε,

βουλόμενος φίλον ποιῆσαι ναυκλήρῳ, ψευδόμενος ἐπαινοίην, φάσκων ἀγαθὸν εἶναι κυβερνήτην, ὁ δέ μοι πεισθεὶς ἐπιτρέψειέ σοι τὴν ναῦν μὴ ἐπισταμένῳ κυβερνᾶν, ἔχεις τινὰ ἐλπίδα, μὴ ἂν σαυτόν τε καὶ τὴν ναῦν ἀπολέσαι; —— Ad confirmandam emendationem nemo, opinor, plura requiret.

Pag. 14. in f. *Abfurdum vobis videatur, o! Cives, me multas circumeundo domos* &c.] Quamquam grave eft, integros locos defcribere, ejus tamen, quam modo dicebam, confirmationis cauffâ, en tibi Socratica PLATONIS in Apol. Tomo I. pag. 31. c. Ἴσως ἂν οὖν δόξειεν ἄτοπον εἶναι, ὅτι δὴ ἐγὼ ἰδίᾳ μὲν ταῦτα συμβουλεύω περιϊὼν καὶ πολυπραγμονῶν, δημοσίᾳ δὲ οὐ τολμῶ ἀναβαίνων εἰς τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον ξυμβουλεύειν τῇ πόλει. τούτου δὲ αἴτιόν ἐστιν ὃ ὑμεῖς ἐμοῦ πολλάκις ἀκηκόατε πολλαχοῦ λέγοντος, ὅτι μοι θεῖόν τι καὶ δαιμόνιον γίγνεται φωνή, — ἣ ὅταν γένηται, ἀεὶ ἀποτρέπει με τοῦτο ὃ ἂν μέλλω πράττειν, προτρέπει δὲ οὔποτε. τοῦτό ἐστιν ὅ μοι ἐναντιοῦται, τὰ πολιτικὰ πράττειν. καὶ παγκάλως δέ μοι δοκεῖ ἐναντιοῦσθαι. εὖ γὰρ ἴστε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, εἰ ἐγὼ πάλαι ἐπεχείρησα πράττειν τὰ πολιτικὰ πράγματα, πάλαι ἂν ἀπολώλειν, καὶ οὔτ' ἂν ὑμᾶς ὠφελήκειν οὐδέν, οὔτ' ἂν ἐμαυτόν. καὶ μοι μὴ ἄχθεσθε λέγοντι τἀληθῆ. οὐ γάρ ἐστιν ὅστις ἀνθρώπων σωθήσεται, οὔτε ἄλλῳ οὐδενὶ πλήθει γνησίως ἐναντιούμενος, καὶ διακωλύων πολλὰ ἄδικα καὶ παράνομα ἐν τῇ πόλει γίγνεσθαι. ἀλλὰ ἀναγκαῖόν ἐστι τῷ ὄντι μαχούμενον ὑπὲρ τοῦ δικαίου, καὶ εἰ μέλλει ὀλίγον χρόνον σωθήσεσθαι, ἰδιωτεύειν, ἀλλὰ μὴ δημοσιεύειν. μεγάλα δ' ἔγωγε ὑμῖν τεκμήρια παρέξομαι τούτων, οὐ λόγους, ἀλλ', ὃ ὑμεῖς τιμᾶτε, ἔργα. — Καὶ τούτων ὑμῖν ἔσονται πολλοὶ μάρτυρες. ἆρ' οὖν με οἴεσθε τοσάδε ἔτη διαγενέσθαι, εἰ ἔπραττον τὰ δημόσια, καὶ πράττων ἀξίως ἀνδρὸς ἀγαθοῦ, ἐβοήθουν τοῖς δικαίοις, καὶ, ὥσπερ χρή, τοῦτο περὶ πλείστου ἐποιούμην; πολλοῦ γε δεῖ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι· οὐδὲ γὰρ ἂν ἄλλος ἀνθρώπων οὐδείς.

Pag. 16. *De Rep. conftituendâ alibi differens Socrates* &c.] Locus reperitur apud PLATONEM de Rep. Lib. VI. pag. 496. c. καὶ τούτων δὴ τῶν ὀλίγων οἱ γενόμενοι καὶ γευσάμενοι, ὡς ἡδὺ καὶ μακάριον τὸ κτῆμα, καὶ τῶν πολλῶν αὖ ἱκανῶς ἰδόντες τὴν μανίαν, καὶ ὅτι οὐδεὶς οὐδὲν ὑγιὲς (ὡς ἔπος εἰπεῖν) περὶ τὰ τῶν πόλεων πράττει, οὐδ' ἔστι ξύμμαχος μεθ' ὅτου τὶς ἰὼν ἐπὶ τὴν τῶν δικαίων βοήθειαν, σώζοιτ' ἄν· ἀλλ' ὥσπερ εἰς θηρία ἄνθρωπος ἐμπεσών, οὔτε ξυναδικεῖν ἐθέλων, οὔτε ἱκανὸς ὢν εἷς πᾶσιν ἀγρίοις ἀντέχειν, πρίν τι τὴν πόλιν ἢ φίλους ὀνῆσαι προαπολόμενος, ἀνωφελὴς αὐτῷ τε καὶ τοῖς ἄλλοις ἂν γένοιτο. ταῦτα πάντα λογισμῷ λαβών, ἡσυχίαν ἔχων, καὶ τὰ αὐτοῦ πράττων, οἷον ἐν χειμῶνι κονιορτοῦ καὶ ζάλης ὑπὸ πνεύματος φερομένου, ὑπὸ τειχίον ὑποστάς, ὁρῶν τοὺς ἄλλους καταπιμπλαμένους ἀνομίας, ἀγαπᾷ εἴ πῃ αὐτὸς καθαρὸς ἀδικίας τε καὶ ἀνοσίων ἔργων, τόν τε ἐνθάδε βίον βιώσεται, καὶ τὴν ἀπαλλαγὴν

αὐτοῦ

αὐτοῦ μετὰ καλῆς ἐλπίδος ἵλεώς τε καὶ εὐμενὴς ἀπαλλάξεσθαι. — Quae rabidorum Demagogorum furentisque Populi cum *belluis* ac *feris* comparatio quandoquidem Socraticis familiaris fuerit, ex illorum more *personatus* scribit PLATO *Epist. Socr.* XXIV. pag. 51. " quum nemo Athenis aliquid sani ,, ageret, neque privatim, neque in Republicâ, se ex urbe in agrum ,, prope Ephestiadas se recepisse, tanquam si ex quâdam ferarum ac bel-,, luarum caveâ evasisset, διὸ δὴ ἐκ τοῦ ἄστεος ἀπηλλάγην, ὥσπερ εἱρκτῆς θηρίων, διατρίβων μέν τοι οὐ μακρὰν Ἐφεστιάδων. — Caeterum, quoniam locos Philosophicos hic excutere non est animus, de illâ inter Stoicos & Epicuréos multum agitatâ quaestione nihil dicemus, *an Sapienti capessenda sit Respublica*, quam, post SENECAM *de Otio Sapientis*, luculenter exposuit GASSENDUS *de Philosophiâ Epicuri* Tomo II. pag. 14. & pag. 357. — *Interrogo* (inquit Seneca) *ad quam Remp. Sapiens accessurus sit? Ad Atheniensium, in qua Socrates damnatur, Aristoteles, ne damnaretur, fugit? in qua opprimit invidia virtutes? negabis mihi, accessurum ad hanc Remp. Sapientem. Ad Carthaginiensium ergo Remp. Sapiens accedet, in qua adsidua seditio, & optimo cuique infesta libertas est, summa aequi ac boni vilitas, adversus hostes inhumana crudelitas, etiam adversus suos hostilis? Et hanc fugiet.*

Pag. 17. in f. CICERONIS *iterum verbis utor, Platonem auctorem vehementer sequentis* &c.] Petitis nimirum ex praeclarâ illâ ad Lentulum Epistolâ, in qua, me quidem judice, Tullius animi sui effigiem perfectius depinxit, quam usquam alibi, Lib. I. ad Div. Ep. 9. pag. 50. ed. Graev. ubi Victorius geminum PLATONIS locum, ad quem respicit Cicero, indicare haud neglexit: Prior est in pulcherrimâ ad Propinquos & Familiares Dionis Epistolâ pag. 331. D. in quo loco censet Plato, ad mutandam Reip. formam, etiamsi optimam constituturus sis, non licere Patriae vim aut arma inferre, quandoquidem talis mutatio violenta sine caedibus aut sanguine ac sine multorum exilio & fugâ effici nequit. Πατέρα δὲ ἢ μητέρα οὐχ ὅσιον (inquit) ἡγοῦμαι προσβιάζεσθαι, μὴ νόσῳ παραφροσύνης ἐχομένους· — ταυτὸν δὲ καὶ περὶ πόλεως αὑτοῦ διανοούμενον χρὴ ζῆν τὸν ἔμφρονα. λέγειν μὲν, εἰ μὴ καλῶς αὐτῷ φαίνοιτο πολιτεύεσθαι, εἰ μέλλοι μήτε ματαίως ἐρεῖν, μήτε ἀποθανεῖσθαι λέγων· βίαν δὲ πατρίδι πολιτείας μεταβολῆς μὴ προσφέρειν, (ὅταν ἄνευ φυγῶν καὶ σφαγῆς ἀνδρῶν μὴ δυνατὸν ᾖ γίγνεσθαι τὴν ἀρίστην) ἡσυχίαν δὲ ἄγοντα, εὔχεσθαι τὰ ἀγαθὰ αὐτῷ τε καὶ τῇ πόλει. — Quam certe Socraticam fuisse Platonis sententiam, liquet ex Critone T. I. Opp. pag. 51. βιάζεσθαι δὲ οὐχ ὅσιον οὔτε μητέρα, οὔτε πα-

πατέρα· πολὺ δὲ τούτων ἔτι ἧττον τὴν πατρίδα. Multumque adeo Socrates aberat ab illorum ferâ atque immani ſapientiâ, dicam, an ferociâ, qui ſibi integrum eſſe putant, per caedes & ſupplicia, per proſcriptiones, civiumque ſtragem aut exilia, ad conſtituendam, ut aiunt, civitatem graſſari, quam ſic peſſumdari, non emendari, omnis aevi docet experientia. Longe aliter Socrates, Socratisque amicus XENOPHON Ἀπομν Lib. I. Cap. 2. §. 10. (pag. 415. ed. Steph.) Ἐγὼ δ' οἶμαι τοὺς φρόνησιν ἀσκοῦντας, καὶ νομίζοντας ἱκανοὺς ἔσεσθαι τὰ συμφέροντα διδάσκειν τοὺς πολίτας, ἥκιστα γίγνεσθαι βιαίους, εἰδότας ὅτι τῇ μὲν βίᾳ πρόσεισιν ἔχθραι καὶ κίνδυνοι, διὰ δὲ τοῦ πείθειν ἀκινδύνως τε καὶ μετὰ φιλίας τὰ αὐτὰ γίγνεσθαι· οἱ μὲν γὰρ βιασθέντες ὡς ἀφαιρεθέντες μισοῦσιν, οἱ δὲ πεισθέντες ὡς κεχαρισμένοι φιλοῦσιν. Οὐκ οὖν τῶν φρόνησιν ἀσκούντων τὸ βιάζεσθαι, ἀλλὰ τῶν ἰσχὺν ἄνευ γνώμης ἐχόντων τὰ τοιαῦτα πράττειν· — καὶ φονεύειν δὲ τοῖς τοιούτοις ἥκιστα συμβαίνει, κ. τ. λ. *Ego vero arbitror illos, qui veram colunt rerum civilium prudentiam, talesque ſe eſſe intelligunt, qui utilia ad Remp. cives docere poſſint, minime omnium eſſe violentos, quum pulchre noverint, violentiae comites ſemper haerere inimicitias & pericula; eadem autem perſuadendo effici ſolere ſine periculo ac mutuâ cum benevolentiâ. Etenim qui vim paſſi ſunt, jus ſuum ſibi ademtum rati, opprimentem odio habent; qui vero perſuadendo adducti ſunt, tanquam beneficio mactati, perſuadentem amore complectuntur. Igitur qui rerum civilium prudentiam colunt, eorum minime proprium eſt vi & violentiâ uti ad auctoritatem ſuam tuendam; ſed illorum eſt talia facere, qui vires habent, bonam mentem non habent: — Neque, ut per caedem & ſtrages civium graſſetur, viro prudenti accidere ſolet* &c. — Quippe, uti Homeri teſtimonio apud PLATONEM in Gorgia pag. 516. c. uſus Socrates: *Viri juſti manſueti etiam ſunt & animo miti.* Οὐκοῦν οἵγε δίκαιοι, ἥμεροι, ὡς ἔφη Ὅμηρος. — Atque haec conſtans veterum Sapientum fuit opinio. — Legiſſe haud poenitebit WASSIUM ad haec SALLUSTII, in quibus, animo meo ſaepe obverſantibus, Socraticae prudentiae expreſſam imaginem reperiſſe mihi videor, Bell. Jug. Cap. 3. *Verum ex his magiſtratus, & imperia, poſtremo omnis cura rerum publicarum, minime mihi hac tempeſtate cupiunda videntur; quoniam neque virtuti honos datur; neque illi, quibus per fraudem jus fuit, tuti aut eo magis honeſti ſunt: Nam vi quidem regere Patriam, aut Parentes, quamquam & poſſis & delicta corrigas, tamen importunum eſt; cum praeſertim omnes rerum mutationes caedem, fugam, aliaque hoſtilia portendant. Fruſtra autem niti, neque aliud, ſe fatigando, niſi odium quaerere, extremae dementiae eſt; niſi forte quem inhoneſta & pernicioſa lubido tenet, potentiae paucorum*

rum

rum decus atque libertatem ſuam gratificari. — Quando autem in hoc jam loco, de *vi Patriae inferendâ*, ſecundum Ciceronem, verſamur, impetrare a me non poſſum, quin animadvertam, ex iſtâ ad Lentulum Epiſtolâ attendenti facile liquere, quid is, qui *Platonem vehementer auctorem ſequeretur*, ex animo ſenſerit de variis Quaeſtionibus, ad idem argumentum pertinentibus, " quas tanquam θέσεις quasdam, quae & politicae ,, eſſent, & illorum temporum," (Pompejo ſcilicet ab unâ, Caeſare ab alterâ parte, Italiae aut imminente aut arma hoſtilia inferente) " ſibi tra- ,, ctandas ſumſerat: An, oppreſſâ Libertate, unius male quaeſitam poten- ,, tiam quovis modo evertere ſit conandum, etiamſi per ejusmodi conatum ,, Resp. de ſummâ rerum & de univerſorum ſalute in periculum adduca- ,, tur? — An oppreſſae ſub Tyrannide Patriae, tempore potius atque op- ,, portunis ſermonibus, ſit opitulandum quam bello & armis? An iſtâ re- ,, rum conditione neutras ſequi partes fas ſit, & ſe aliquo in tutum ,, recipere? An per omnia diſcrimina ruendum ſit, Libertatis ergo? An, ,, ſi unus in Civitate liberâ male dominetur, arma propterea natali ſolo li- ,, ceat inferre; & an Patria per vim hoſtilem atque obſidiones ſit vin- ,, dicanda? An, ſi quis non probet talem Tyrannidis per bellum everſio- ,, nem, ejus tamen officium ſit nomen ſuum inter hos, qui pro optimis ,, civibus habentur, profiteri? An cum illis, qui nos beneficiis obſtrinxe- ,, runt, aut qui amicitiae vinculo nobis junguntur, communia in rebus ,, civilibus pericula ſint adeunda, etiamſi nobis de univerſâ Republicâ male ,, conſuluiſſe videantur? &c." Τυραννουμένης δὲ πατρίδος, (Graeca Cic. ſunt ad Att. Lib. IX. Ep. 4.) εἰ παντὶ τρόπῳ τυραννίδος κατάλυσιν πραγματευτέον, κἂν μέλλῃ διὰ τοῦτο περὶ τῶν ὅλων ἡ πόλις κινδυνεύσειν; — εἰ πειρατέον ἀρήγειν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ καιρῷ καὶ λόγῳ μᾶλλον ἢ πολέμῳ; εἰ πολιτικὸν τὸ ἡσυχάζειν, ἀναχωρήσαντά ποι, τῆς πατρίδος τυραννουμένης; εἰ διὰ παντὸς ἰτέον κινδύνου τῆς ἐλευθερίας πέρι; εἰ πόλεμον ἐπακτέον τῇ χώρᾳ, καὶ πολιορκητέον ταύτην τυραννουμένην; εἰ καὶ μὴ δοκιμάζοντα τὴν διὰ πολέμου κατάλυσιν τῆς τυραννίδος, συναπογραπτέον ὅμως τοῖς ἀρίστοις; εἰ τοῖς εὐεργέταις καὶ φίλοις συγκινδυνευτέον ἐν τοῖς πολιτικοῖς, κἂν μὴ δοκῶσιν εὖ βεβουλεῦσθαι περὶ τῶν ὅλων; κ. τ. λ. — dignae certe conſultationes, in quibus ſe exerceant cives, quales fuerunt Socrates, M. Tullius, Michael Hospitalius, Hugo Grotius, quique, ſeu ingenii dotes ſpectemus, ſeu animi, ad magna iſta nomina omni aetate, longo quamquam intervallo, accedent proximi. —

Pag. 18. in f. *Solon tam prudenter popularem regiminis formam temperaverat.*] Quam breviſſime potui, praecipuas h. l. cauſſas enumeravi,

qui-

quibus mutatam Reip. formam debuit Civitas Attica, & cum mutatâ formâ mutatam quoque fortunam, perditos mores, omiſſam ſalutis publicae curam, everſa Patrum inſtituta, ſpretam Majorum diſciplinam, atque ex libertate modicâ primum, immoderatâ deinceps, ortam poſtremo licentiam effraenatam, e licentiâ denique prognatam Tyrannidem & univerſorum ſervitutem: Quibus cauſſis plures addere potuiſſem, ſecundo ordine collocandas, concionem & judicia plebi in quaeſtu poſita; violatas, mox conſuetudine abrogatas, quas contra novandi libidinem & Demagogorum furores tulerat Solon, leges ſaluberrimas; neglectam majoribus natu debitam reverentiam, aliasque: Sed, quod Orationis meae πάρεργον eſt, tanquam ἔργον non erat tractandum. Id alio fortaſſis tempore, alio forſitan agemus loco: Nam, quum ſtudii & curae, quae cognoſcendae Antiquitati impenditur, hunc ſemper fructum potiſſimum eſſe judicaverim, ut praeteritarum rerum memoria, experientiae vice functa, noſtra de rebus praeſentibus futurisque judicia certiora reddat ac veriora, inſtitutionem meam in Academiâ Batavâ ita informaveram, ut, dum ingenua adoleſcentium pectora ad amorem Literarum Graecarum inflammarem, illos, (quod ab auſpiciis muneris mei, plaudentibus bonis omnibus, in me ſuſceperam) — *illos*, inquam, *redderem non tantum doctiores, ſed & meliores, Cives Patriae amantiores, Majorum denique noſtrorum ſimillimos:* Atque iſthoc animo RES ATTICAS diſcipulis meis accuratius tradere conſueveram. Hoc vero quando per tempora, quae vivimus, amplius mihi non eſt integrum, conſtitui, partem otii, quo in poſterum fruar, in eo collocare, ut LECTIONUM ATTICARUM *Libris* nonnulla, quae de Rep. Athenienſi, ſive ad formam Reip. ejusque mutationes mutationumque cauſſas ſpectantia, ſive ad Magiſtratus, Judicia, & Tribunalia, aut perperam tradi ſolent, aut non ſatis ſunt enucleata, aliquâ cum curâ exponam. Igitur, quae ad probandam hanc ſermonis mei partem plura in medium adferri poſſent, ſciens omitto. Fundus eorum eſt tum egregius & claſſicus locus ARISTOTELIS Polit. Lib. II. Cap. 10. tum admirabilis illa ISOCRATIS Oratio, quae dicitur *Areopagitica*, tota propemodum deſcribenda, ut oculati teſtis, ejusdemque viri, qui popularem Reip. formam ſupra omnes alias laudibus effert & praedicat, — ut talis viri ipſis verbis demonſtretur, quomodo ferocientes, poſt devictos Perſas, Athenienſes laudatiſſima Solonis inſtituta immutaverint, omnesque promiſcue cives ad ſortitionem ſummae in Rep. dignitatis admiſerint, ita ut pauperrimus jam quisque e publicâ pecuniâ rem privatam ſtabiliret augeretque, & civita-

tatem regere judicumve officio fungi ad lucrum ac praedam revocaret, fractâ & proculcatâ Senatus Areopagitici auctoritate, exclusis repudiatisque optimis civibus, ac liberâ denique Republicâ in Tyrannidem, popularem primum, oligarchicam deinceps, conversâ. — Quum imminentem ruinam ex populari illa amentiâ, qua Resp. quotidie magis magisque in praeceps ferebatur, civibus ob oculos poneret Isocrates, pristinamque Reip. formam cum praesenti compararet, " qui istâ majorum nostrorum „ aetate (inquit) hanc administrabant Rempublicam, talem constituerunt „ civitatis formam, quae non *nomine* maxime populari & lenissimo appel„ laretur, *ipsis* vero *factis* minime talis videretur iis, quibus esset cum illâ „ negotium; neque ita illi cives informabant suos, ut in effraenatâ licen„ tiâ consistere Democratiam, in contemtu legum Libertatem, in audaciâ „ quidvis dicendi aequum jus civium, in integrâ talium facinorum facul„ tate sitam felicitatem putarent: Sed iis ratio Reip. erat ejusmodi, quae „ istius indolis homines odio debitisque poenis prosequeretur, omnesque „ in universum cives & meliores redderet & moderatiores: Atque ad bene „ ordinandam regundamque civitatem illos hoc maxime adjuvabat, quod, „ quum DUAE AEQUALITATES (seu *duplex aequalitatis species*) „ existimentur esse, quarum una *omnibus idem plane tribuat*, altera *singu„ lis id conferat quo digni sint*, *quodque eos deceat*, non ignoraverunt, „ utra harum esset utilior: Illam quippe quae cives bonos honestosque „ cum malis aequat, & utrosque iisdem honoribus ornat, hanc aequa„ litatem, ut injustam, improbarunt; alteram vero, quae unumquemque „ aut pro dignitate honorat aut pro meritis castigat, — hanc sibi pro„ priam elegerunt: Hujusque adeo ex praeceptis civitatem administra„ bant, non ex omnibus promiscue civibus sorte ducentes summos ma„ gistratus, sed judicio suo ad unumquodque munus optimos praeferen„ tes & maxime idoneos: Reliquos enim cives tales esse sperabant, quales „ forent, qui summae rerum praeessent." — Paulo post, rationem reddens, cur prisco illo aevo publica munera minus appeterentur, nec invidiosae de illis orirentur contentiones, " id inde fiebat (inquit) quod „ opere faciundo & parcimoniâ rei domesticae curam gererent, neque, „ sui negligentes negotii, alienis opibus inhiarent, neque *ex reditu pu„ blico privatae impensae alendaeque familiae providerent*; sed de suis facul„ tatibus, si quando opus foret, communi aerario subvenirent; neque „ accuratius nossent, quantum ex publicis tabulis ad se rediret, quam „ quantum sibi rei privatae vectigal esset. Tam sollicite autem abstine-

„ bant a pecuniâ publicâ, ut iſtis temporibus difficilius foret reperire, „ qui ſummâ in Rep. dignitate fungi vellent, quam nunc qui nullâ mu- „ nerum civilium cupiditate ferantur: Quippe curam Reip. non quaeſtum „ aut velut mercaturam aliquam, ſed onus, publici commodi cauſſâ impo- „ ſitum, exiſtimabant: Neque a primâ jam die reputabant, an aliquid „ lucelli ſibi ſubducendum reliquiſſent ſui in ſummâ dignitate deceſſo- „ res &c. — (pag. 143. ed. Steph.)" Οἱ γὰρ κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον τὴν πόλιν διοικοῦντες κατεστήσαντο πολιτείαν, οὐκ ὀνόματι μὲν τῷ κοινοτάτῳ καὶ πρᾳοτάτῳ προσαγορευομένην, ἐπὶ δὲ τῶν πράξεων οὐ τοιαύτην τοῖς ἐντυγχάνουσι φαινομένην· οὐδὲ τὸν τρόπον τοῦτον ἐπαίδευον τοὺς πολίτας, ὥσθ' ἡγεῖσθαι τὴν μὲν ἀκολασίαν, δημοκρατίαν· τὴν δὲ παρανομίαν, ἐλευθερίαν· τὴν δὲ παῤῥησίαν, ἰσονομίαν· τὴν δ' ἐξουσίαν τοῦ ταῦτα ποιεῖν, εὐδαιμονίαν· ἀλλὰ καὶ μισοῦσα καὶ κολάζουσα τοὺς τοιούτους, βελτίους μὲν καὶ σωφρονεστέρους ἅπαντας τοὺς πολίτας ἐποίησε. Μέγιστον δ' αὐτοῖς συνεβάλετο πρὸς τὸ καλῶς οἰκεῖν τὴν πόλιν, ὅτι δυοῖν ἰσοτήτοιν νομιζομέναιν εἶναι, καὶ τῆς μὲν ταυτὸν ἅπασιν ἀπονεμούσης, τῆς δὲ πρὸς τὸ προσῆκον ἑκάστοις, οὐκ ἠγνόουν τούτων τὴν χρησιμωτέραν· ἀλλὰ τὴν μὲν τῶν αὐτῶν ἀξιοῦσαν τοὺς χρηστοὺς καὶ πονηροὺς, ἀπεδοκίμαζον ὡς οὐ δικαίαν οὖσαν· τὴν δὲ κατ' ἀξίαν ἕκαστον τιμῶσαν, καὶ κολάζουσαν, προῃροῦντο. — Καὶ διὰ ταύτης ᾤκουν τὴν πόλιν, οὐκ ἐξ ἁπάντων τὰς ἀρχὰς κληροῦντες, ἀλλὰ τοὺς βελτίστους, καὶ τοὺς ἱκανωτάτους, ἐφ' ἕκαστον τῶν ἔργων προκρίναντες. Τοιούτους γὰρ ἤλπιζον ἔσεσθαι καὶ τοὺς ἄλλους, οἷοίπερ ἂν ὦσιν οἱ τῶν πραγμάτων ἐπιστατοῦντες. —— Αἴτιον δ' ἦν τοῦ μὴ περιμαχήτους εἶναι τὰς ἀρχὰς, ὅτι μεμελετηκότες ἦσαν ἐργάζεσθαι καὶ φείδεσθαι, καὶ μὴ τῶν μὲν οἰκείων ἀμελεῖν, τοῖς δ' ἀλλοτρίοις ἐπιβουλεύειν· μηδ' ἐκ τῶν δημοσίων τὰ σφέτερ' αὐτῶν διοικεῖν, ἀλλ' ἐκ τῶν ἑκάστοις ὑπαρχόντων, ὁπότε δεήσειε, καὶ τοῖς κοινοῖς ἐπαρκεῖν· μηδ' ἀκριβέστερον εἰδέναι τὰς ἐκ τῶν ἀρχείων προσόδους, ἢ τὰς ἐκ τῶν ἰδίων γινομένας αὐτοῖς. Οὕτω δὲ ἀπείχοντο τῶν τῆς πόλεως, ὥστε χαλεπώτερον ἦν ἐν ἐκείνοις τοῖς χρόνοις εὑρεῖν τοὺς βουλομένους ἄρχειν, ἢ νῦν τοὺς μηδὲν δεομένους· οὐ γὰρ ἐμπορίαν, ἀλλὰ λειτουργίαν, ἐνόμιζον εἶναι τὴν τῶν κοινῶν ἐπιμέλειαν. Οὐδ' ἀπὸ τῆς πρώτης ἡμέρας ἐσκόπουν εἴτι λῆμμα παραλελοίπασιν οἱ πρότερον ἄρχοντες. — Ad primam iſtam *aequalitatem, quae omnibus idem plane tribuit*, XENOPHON, in *Cyropaediâ* ſuâ ingratos erga ſe Athenienſes tectis ſaepe verbis lepide reprehendens, (de ἰσηγορίᾳ vid. L. I. Cap. 3. §. 10. ed. Zeun. pag. 6. in f. ed. Steph.) — eo, inquam, reſpicit Lib. II. Cap. 2 §. 17. ed. Zeun. (pag. 29. ed. Steph.) quando, ſub Chryſantae perſonâ, ait: Καί τοι ἔγωγε οὐδὲν ἀνισώτερον νομίζω τῶν ἐν ἀνθρώποις εἶναι, τοῦ τῶν ἴσων τόν τε κακὸν καὶ τὸν ἀγαθὸν ἀξιοῦσθαι. *Ego vero nihil inaequalius eſſe in rebus humanis exiſtimo, quam ſi aequo jure dignus cenſeatur & vir bonus & malus:* Quem locum Xenophontéum expreſſiſſe videtur PLINIUS Ep. Lib. IX. Ep. 5.

Sed

Sed temperare mihi non possum, quo minus laudem, similis monenti, quod eum modum tenes, ut discrimina ordinum dignitatumque custodias, quae si confusa, turbata, permista sint, nihil est ipsâ aequalitate inaequalius. —

Pag. 20. *Triumphis, quos a Persis reportaverant, ferocientes Athenienses.*] ISOCRATES paulo supra locum, quem modo exscripsimus, — μετὰ δὲ ταῦτα (post tempora Persica) μεῖζον φρονήσαντες τοῦ δέοντος, καὶ λαβόντες καὶ τὴν κατὰ γῆν καὶ τὴν κατὰ θάλασσαν ἀρχὴν, κ. τ. λ. — Pariterque ARISTOTELES Polit. Lib. II. Cap. 10. postquam narrasset, " fractâ Areopagi auctoritate, ,, antiquam Reip. disciplinam corrupisse Ephialten & Periclem; hunc etiam, ,, quum mercenarios judices (Heliastas) reddidisset, atque ita Demago- ,, gorum deinceps singulos, potentiam popularem ad eam, quae tunc ,, erat, Democratiae vim intendisse;" — *neque tamen* (inquit) *hoc ex Solonis judicio factum videtur, sed ex illo potius, qui postea evênit, casu. Quum enim devictorum navalibus praeliis Medorum Populus Atheniensis praecipuus fuisset auctor, altos gerere coepit spiritus, pravosque nactus est in forensi suggesto duces, optimos honestissimosque cives pro adversariis in administrandâ Rep. habens &c.* — Φαίνεται δ' οὐ κατὰ τὴν Σόλωνος γενέσθαι τοῦτο προαίρεσιν, ἀλλὰ μᾶλλον ἀπὸ συμπτώματος· τῆς ναυαρχίας γὰρ ἐν τοῖς Μηδικοῖς ὁ δῆμος αἴτιος γενόμενος, ἐφρονηματίσθη, καὶ δημαγωγοὺς ἔλαβε φαύλους, ἀντιπολιτευομένων τῶν ἐπιεικῶν, κ. τ. λ. — Sed, cujus potissimum verba prae oculis habui, PLUTARCHUS est in vitâ Aristidis Vol. II. pag. 319. ed. Bryan. (Tomo II. pag. 332. c.) Ἐπεὶ δ' ἀναχωρήσαντας εἰς τὸ ἄστυ τοὺς Ἀθηναίους ὁ Ἀριστείδης ζητοῦντας ἑώρα ἀπολαβεῖν τὴν δημοκρατίαν, ἅμα μὲν ἄξιον ἡγούμενος διὰ τὴν ἀνδραγαθίαν ἐπιμελείας τὸν δῆμον, ἅμα δ' οὐκ ἔτι ῥᾴδιον, ἰσχύοντα τοῖς ὅπλοις καὶ μέγα φρονοῦντα ταῖς νίκαις ἐκβιασθῆναι, γράφει ψήφισμα, κοινὴν εἶναι τὴν πολιτείαν, καὶ τοὺς Ἄρχοντας ἐξ Ἀθηναίων πάντων αἱρεῖσθαι. *Quum vero reduces in urbem a bello Persico Athenienses formae popularis adipiscendae cupidos videret, atque ab unâ parte Populum propter virtutem bellicam ac fortitudinem dignum existimaret, cujus ratio omnino haberetur, ab alterâ autem parte haud facile in posterum fore eum, qui jam armis valeret, & victoriis elatus esset, per vim continere, Legem rogat, " ut commune jam jus sit ,, Reipublicae capessendae, atque Archontes ex omnibus Atheniensibus sine ,, discrimine eligerentur."*

Pag. 20. *Deinde statutum, ut non amplius suffragiis Populi sed sorte crearentur.*] Prudens abstinui quaestione, alibi forte tractandâ, quando

& a quo Lex lata fuerit, ut Archontis dignitas foret κληρωτὴ, non, ut ex Solonis instituto fuerat, αἱρετή. Certe vel aetate Aristidis, vel antequam Pericles auctoritate valeret in Republicâ, haec jam obtinuit mutatio. Pluribus hac de re, post Meursium, disputarunt PERIZON. ad AEL. Var. Hist. Lib. VIII. Cap. 10. CORSINUS *in F. Att.* Diss. I. §. 11.

Ibid. in f. *Per interpositam Ephialtae personam — Pericles effecit.*] Res notissima ex ARISTOT. d. l. Polit. Lib. II. Cap. 10. DIOD. SIC. Lib. XI. Cap. 77. PLUTARCHO in vitâ Periclis Vol. I. pag. 347. ed. Bryan. (Tom. I. pag. 158.) pluribus exposita a MEURSIO in Areop. Cap. IX. Jo. TAYLORO ad LYSIAM pag. 17. PRIDEAUX ad Marm. Oxon. pag. 115. (vet. ed.) BAYLE in Lex. Hist. v. *Pericles*, Nota Q. & S. Quod autem solus Athenis regnare non tantum cupiverit, sed vere regnaverit, Pericles, si cuncta alia deficerent testimonia, vel unus locuples testis esset THYCYDIDES, loco insigni, & quem idoneus rerum humanarum aestimator haud facile negligat, Lib. II. Cap. 65. Ἐγίγνετο τε, λόγῳ μὲν, δημοκρατία, ἔργῳ δὲ, ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχὴ κ. τ. λ. — *Nomine quidem tenus forma erat Reip. popularis; re autem verâ unius viri imperio Resp. regebatur.* — Caeterum operae pretium fuerit, tum istis a Pericle contra sanctissimum consessum structis insidiis, tum reliquis artibus, quibus Remp. ex arbitrio suo administrandam, conciliandumque sibi Populum, usus est, παρὰ τὴν αὐτοῦ φύσιν ἥκιστα δημοτικὴν οὖσαν, demonstrasse, quid in Civitate liberâ possit Vir, ex isto hominum genere, quibus Natura eximias dedisse dotes videtur, ut vitia eorum magis sint amabilia, sed propter adjunctas virtutes humano generi magis etiam perniciosa atque mortifera, utpote quae dulcedine quadam suâ multitudini plerumque blandiantur; ab alterâ vero parte in Ephialte ostendere, quis qualisque sit civis, Patriae ille quidem amans, salutis publicae studiosus, vitae integer, abstinens, divitiarum contemtor, sed idem parum acutus, in consiliis praeceps, immodicae libertatis in civitate fautor, aliorumque callidiorum pravae ambitioni, optimâ quamvis fide, serviens. — Equidem mirari frequenter soleo, quid splendida valeant vitia; quid, *cum fundamentum perpetuae commendationis & famae sit justitia* (TULLII verbis utor) *sine quâ nihil potest esse laudabile*, — quid tamen valeat *male collectae* saepe *famae* auctoritas, non ipso tantum quo potentes illi floruerunt saeculo, sed aliquando etiam apud credulos nimium posteros. — Praeter alios, scripta miror a summo VALCKENAERIO Diatr. Eurip. Cap. XXIII. pag. 252. B. 253. A. 254. A. &c.

&c. qui ſaltem legerat apud PLATONEM in Gorgiâ pag. 516. c. ἀλλὰ μὴν ἀγριωτέρους γε αὐτοὺς (Ἀθηναίους) ἀδικωτέρους τε καὶ χείρους ἀπέφηνεν ἢ οἵους παρέλαβεν. — Οὐκ ἄρ' ἀγαθὸς τὰ πολιτικὰ Περικλῆς ἦν, κ. τ. λ. — Quantas vel ſolâ hac in parte *Plutarchus* nobis offerat divitias, norunt, qui cum eximio Hiſtorico, eodemque Philoſopho, aliquantisper conſueverunt.

Pag. 21. *Id evênit*, *quod* ISOCRATES *ait* &c.] Locus eſt in Orat. Panath. pag. 259. D (ed. Steph.) " Majores noſtri (inquit) quamvis „ diſciplinae, quae formas Rerumpublicarum explicat, imperiti, non aberrarunt tamen in eligendâ illâ, quam omnes agnoſcant non tantum communibus commodis maxime appoſitam & juſtiſſimam, ſed cunctis etiam, „ qui illâ utantur, ſummopere ſalutiferam & jucundam: Conſtituerunt „ enim *Democratiam* (ſeu formam popularem,) non quae temere Remp. „ adminiſtraret, atque in petulantiâ libertatem, in licentiâ quidvis agendi „ felicitatem collocaret; ſed contra, quae cives ſic animatos caſtigaret, „ atque *Ariſtocratiâ* (Optimatium conſiliis) uteretur, quam *Ariſtocratiam* „ vulgus quidem hominum, quamcunque illa ſit utilis, ita tamen inter „ formas Reip. numerant, quaſi eadem illa eſſet cum *Timocratiâ*, (ſeu „ illâ formâ, quae opibus ſolis poſſeſſionibusque honores & potentiam in „ Rep. tribuit;) non quod, qui id faciant, hoc ignorent ut indocti, „ ſed quia tales de Rep. diſceptationes ipſis nunquam fuerunt curae: „ Ego vero aaſirmo tres ſolas eſſe Reip. formas, *Oligarchiam* (paucorum dominatum,) *Democratiam* (imperium populare,) & *Monarchiam* „ (unius in omnes poteſtatem:) Quicunque jam ſub harum formarum qualibet degentes ſummas dignitates aliaque munera publica illis conferre „ conſueverunt, qui inter cives maxime ſunt idonei talesque, ut negotiis „ publicis rectiſſime & juſtiſſime praeſint, illos arbitror ſub omnibus hiſce „ formis, quaecunque illa demum ſit, felices fore, ac tum ipſos inter „ ſe, tum erga homines exteros atque alienigenas, commode eſſe victuros." —— Κατεστήσαντο γὰρ δημοκρατίαν, οὐ τὴν εἰκῆ πολιτευομένην, καὶ νομίζουσαν, τὴν μὲν ἀκολασίαν, ἐλευθερίαν, τὴν δ' ἐξουσίαν ὅ, τι βούλεταί τις ποιεῖν, εὐδαιμονίαν· ἀλλὰ τὴν τοῖς τοιούτοις μὲν ἐπιτιμῶσαν· ἀριστοκρατίᾳ δὲ χρωμένην, ἣν οἱ μὲν πολλοὶ χρησίμην οὖσαν, ὥσπερ τὴν ἀπὸ τιμημάτων, ἐν ταῖς πολιτείαις ἀριθμοῦσιν, οὐ δι' ἀμαθίαν ἀγνοοῦντες, ἀλλὰ διὰ τὸ μηδὲν πώποτ' αὐτοῖς μελῆσαι τῶν τοιούτων. —— ἐγὼ δὲ φημὶ, τὰς μὲν ἰδέας τῶν πολιτειῶν, τρεῖς εἶναι μόνας, ὀλιγαρχίαν, δημοκρατίαν, μοναρχίαν· τῶν δὲ ἐν ταύταις οἰκούντων ὅσοι μὲν εἰώθασιν ἐπὶ τὰς ἀρχὰς καθιστάναι, καὶ τὰς ἄλλας πράξεις, ἱκανωτάτους τῶν πολιτῶν, καὶ τοὺς μέλλοντας ἄριστα καὶ δικαιότατα τῶν πραγμάτων ἐπι-

στα-

στατήσειν, τούτους μὲν ἐν ἁπάσαις ταῖς πολιτείαις καλῶς οἰκήσειν, καὶ πρὸς σφᾶς αὐτούς, καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους. —— Locus dignus omnino, quem totum deſcriberemus, tum ut ex eo ratio veteris Reip. Athenienſis cum recentiori comparatae cognoſcatur, tum ut conſtet, quid veteres illi Attici ἀριστοκρατίαν dixerint, ab iſto *paucorum dominatu*, quem omnes oderant dicebantque ὀλιγαρχίαν, plane diverſam: Hanc quippe non niſi in pejorem, illam nunquam non ad laudem commendationemque appellare ſolebant: Et primum quidem cum illo loco comparandus eſt alter ejusdem ISOCRATIS in Orat. de Permut. pag. 344. D. ubi Solonis prudentiam & antiquarum Legum ſeveritatem erga calumniatores, hominum genus, quod in liberis civitatibus dëeſt nunquam, nimis autem ſaepe (Iſocrate judice) in illis dominatur, — ubi, inquam, priſcam in calumniatores ſeveritatem comparans cum favore & gratiâ, quibus ſuâ quidem aetate apud populum Athenienſem florebant, " vos (inquit) ejusmodi homines improbos & audaciae „ plenos arbitramini optimos fore, qui ſtatum veſtrum popularem tueantur, utpote qui temeritate ſuâ nil reformident & inimicitias exercere „ ament: Putatis etiam illos, ob tenuitatem fortunae, ex quâ emerſerint, ſuperbiâ nunquam elatos fore aut novarum rerum cupidos: At „ vero ex iſtâ veteris diſciplinae immutatione quae non in veſtram Remp. „ & ſaeviſſima & maxima invaſerunt mala, quorum, qui tali erant indole „ & naturâ, tum dictis tum factis ſuis auctores extiterunt? Qui cum civibus gloriâ ac laude maxime florentibus, & ad civitatem beneficio aliquo demerendam maxime idoneis, *Oligarchiae* perpetuo crimen objicerent & *Spartae ſtudium*, non prius illos deſierunt calumniari, „ quam eos, velut neceſſitate aliquâ, adegiſſent, ut tales vere „ fierent, quales fictis criminibus ante depinxerant." —— Πονηρῶν δ' ἀνθρώπων, καὶ μεστῶν θρασύτητος ἐπέθυμησαν, οἰηθέντες ταῖς μὲν τόλμαις, καὶ ταῖς φιλαπεχθημοσύναις, ἱκανοὺς ἔσεσθαι διαφυλάττειν τὴν δημοκρατίαν, διὰ δὲ τὴν φαυλότητα τῶν ἐξ ἀρχῆς αὐτοῖς ὑπαρξάντων οὐ μέγα φρονήσειν, οὐδ' ἐπιθυμήσειν ἑτέρας πολιτείας. ἐκ ταύτης δὲ τῆς μεταβολῆς, τί τῶν δεινῶν οὐ συνέπεσε τῇ πολιτείᾳ καὶ τῶν μεγίστων κακῶν, ὧν οἱ ταύτην ἔχοντες τὴν φύσιν, καὶ λέγοντες, καὶ πράττοντες διετέλεσαν; οἳ τοὺς μὲν ἐνδοξοτάτους τῶν πολιτῶν, καὶ μάλιστα δυναμένους ποιῆσαί τι τὴν πόλιν ἀγαθόν, ὀλιγαρχίαν ὀνειδίζοντες, καὶ λακωνισμόν, οὐ πρότερον ἐπαύσαντο πρὶν ἠνάγκασαν ὁμοίους γενέσθαι ταῖς αἰτίαις ταῖς λεγομέναις περὶ αὐτῶν. —— In priori autem loco, miretur forſan aliquis *Democratiam*, Athenienſem illam veterem, *Ariſtocratiâ* uſam dici, quae diverſa fuerit a *dominatu paucorum* ſive *Oligarchiâ*, quin & a *Timocratiâ* ſeu, ut Plato vocat, *Timarchiâ*, i. e. ab iſtâ formâ, quae divitiis

tiis opibusque honores tribuit & potentiam. —— Quippe Viris, qui inter Athenienſes ſapientiâ ac ſcriptis inclaruerunt, haec ἀριστοκρατία dicebatur, quae, ſecundum alteram *aequalitatis* ſpeciem, de qua paulo ſupra Iſocratis dicta deſcripſimus, non *omnibus omnino tribuebat idem*, ſed *ſingulis id quo eſſent digni*, *optimisque* adeo & *merito ſuo clariſſimis* ſummos in Rep. honores. Ea etiam Socratica Platonis fuit ſententia: Sub Socratis enim perſonâ, (quem fingit retuliſſe Orationem funebrem ab Aſpaſiâ habitam in laudem eorum, qui pro Patriâ occubuerant) de praeſtanti formâ Reip. quam a majoribus Athenienſes acceperant, agens, (*in Menexeno* pag. 238. c.) ἡ γὰρ αὐτὴ πολιτεία (inquit) καὶ τότε ἦν καὶ νῦν ἀριστοκρατία, ἐν ᾗ νῦν τε πολιτευόμεθα, καὶ τὸν ἀεὶ χρόνον ἐξ ἐκείνου ὡς τὰ πολλά. καλεῖ δὲ ὁ μὲν αὐτὴν δημοκρατίαν, ὁ δὲ, ἄλλο, ᾧ ἂν χαίρῃ· ἔστι δὲ, τῇ ἀληθείᾳ, μετ' εὐδοξίας πλήθους ἀριστοκρατία. —— ἐγκρατὲς δὲ τῆς πόλεως τὰ πολλὰ τὸ πλῆθος· τὰς δὲ ἀρχὰς δίδωσι καὶ κράτος τοῖς ἀεὶ δόξασιν ἀρίστοις εἶναι. —— *Forma autem Reip. & tunc erat & eſt etiamnum Ariſtocratia, illa quippe ſecundum cujus normam & hodie civitatem noſtram adminiſtramus, & adminiſtravimus ſemper ab illo inde tempore quam plurimum: Eam autem alter vocat Democratiam, alter quocunque maxime gaudeat nomine: Sed re verâ Ariſtocratia eſt, (Optimatium adminiſtratio) ex ſententiâ & voluntate multitudinis conſtituta. —— Potiſſimâ enim ex parte, penes populum ſumma rerum eſt in civitate noſtrâ: Populus vero Magiſtratus tribuit & poteſtatem iis, qui optimi ſemper fuiſſe ipſi videantur.* —— Atque hic locus de *mixtâ* aut potius *temperatâ* Reip. Atticae formâ communis videtur fuiſſe omnium, qui panegyricas funebresve Orationes in ſolemni Civium conventu Athenis haberent, ne ipſo quidem Pericle excepto: Is enim, quamvis formam popularem intendi ſummopere cuperet, quin & rê ipſâ continuo intenderet, ut tanto facilius ipſe in Rep. *ſolus* dominaretur, apud THUCYDIDEM tamen in celebri illa Oratione epitaphiâ Lib. II. Cap. 36. nomine tantum tenus *Democratiam* eſſe ait. Χρώμεθα γὰρ πολιτείᾳ οὐ ζηλούσῃ τοὺς τῶν πέλας νόμους, παράδειγμα δὲ αὐτοὶ μᾶλλον ὄντες τισὶν ἢ μιμούμενοι ἑτέρους· καὶ ὄνομα μὲν, διὰ τὸ μὴ ἐς ὀλίγους ἀλλ' ἐς πλείονας ἥκειν (ita omnino legendum videtur cum REISKIO Animadv. Vol. III. pag. 19.) δημοκρατία κέκληται· μέτεστι δὲ, κατὰ μὲν τοὺς νόμους, πρὸς τὰ ἴδια διάφορα πᾶσι τὸ ἴσον, κατὰ δὲ τὴν ἀξίωσιν, ὡς ἕκαστος ἐν τῳ εὐδοκιμεῖ. *Formâ Reip. utimur, non quae vicinorum imitetur leges; ſed ipſi exemplar ſumus nonnullis potius, quam ut nosmet ad alios effingamus: Et nomine quidem tenus, quia non ad paucos ſed ad plures Resp. pertinet, Democratia appellatur. Etenim, ſecundum noſtras Leges, omnes omnino cives, quod*

ad res quisque privatas, *aequo jure utuntur* : *Quod ad ſtationem autem dignitatemque publicam*, *prouti ſinguli in re aliquâ ſunt eximii.* Quibus verbis Thucydidéus Pericles *Democratiam* Athenienſem *Oligarchiae* manifeſto opponit, non *Ariſtocratiae.* Et vero hoc diſcrimen, aetate quidem Periclis ac Thucydidis, perpetuo obſervarunt Scriptores Attici: Atque ſaluberrimum illud Reip. bene conſtitutae *temperamentum* eſt, pro cujus perpetuitate vota ſuſcipit Patriae amantiſſimus AESCHYLUS: In eo quippe Dramate, ubi perfectum Regis cum Populo ſuo conſilia ſua communicantis exemplar exhibet, ſub Danaïdum perſonâ, inter alia egregia, hoc quoque optat, (Suppl. v. 706.) " ut vulgus civium ſibi caveret a contemnendis, „ qui in civitate erant, Magiſtratibus; utque ſemper ii, qui principatum te„ nerent in Republicâ, conſilia ſua provide cum Populo communicarent."

Φυλάσσοι τ' ἀτιμίας τιμὰς
Τὸ δήμιον· τὴν πτόλιν κρατύνοι
Προμαθεὺς εὐκοινόμητις ἀρχά.

—— Talibusque ego juris & aequi in diligendâ colendâque Rep. principiis innutritus, quae ex Scriptoribus Graecis Latinisque, LIVIO praeſertim & CICERONE meo, hauſeram, ac lectione deinceps eorum etiam, qui praecipui Libertatis Civilis defenſores & ſunt & habentur, LOCKII SIDNEJIque, confirmatus, ab ipſis muneris mei in Academiâ Batavâ auſpiciis publice dicebam: " Optima Reip. conſtituendae forma ea eſt, quae „ prudenter ex Plebis atque Optimatium imperio ita ſit temperata, ut ne„ que Populus de ſummâ Reip. unquam pronunciet, vel in judiciis do„ minetur, neque Optimates, ab omni civium ſuorum arbitrio in crean„ dis Magiſtratibus liberi, Civitatis ſe magis dominos quam rectores ar„ bitrentur. Moderata ejusmodi ſi probetur in Regimine miſtura, opta„ tiſſima ſimul aderit *aequalitas*, non iſta quae ex plurium voto *omnibus* „ *idem*, ſed ea quae *ſuum ſingulis* tribuat, pro dignitate quemque hono„ ret, ac malos cives, turbidarum praeſertim rerum auctores, & ſedi„ tionis duces, poenis caſtiget meritiſſimis." —— Tantumque tunc aberam ab illâ exſpectatione fore aliquando, ut qui ita ſentiret, velut aliquâ horrendi carminis lege, ... Sed de eâ quidem re ſilere hactenus praeſtat, ... potiusque exemplis porro demonſtrare, quod ſupra animadvertebam, omnes omnino Scriptores Graecos, Atticos praeſertim, qui ante Alexandri Magni aetatem floruerunt, ἀριστοκρατίαν i. e.

tem-

temperatam ex Populi auctoritate, Optimorumque civium consiliis, Reip. formam, nunquam nisi ad laudem appellasse, neque opposuisse τῇ δημοκρατίᾳ, sed huic τὴν ὀλιγαρχίαν, i. e. illam Remp. *in qua pauci quidam, seu natalium jure, seu censûs, aliove, factionis etiam, privilegio, ad summam rerum administrandam adspirare queant; caeteri omnes excludantur.* Millena sunt loca & ultra, quae attendenti, dum illos versat Auctores veteres, occurrant in oculos: Pauca demus; & primum quidem, ne de antiquissimo omnium HERODOTO dicamus, qui in notissimâ illâ Procerum Persarum consultatione de eligendâ aliquâ ex triplici Reip. formâ, Lib. III. Cap. 81. Megabyzum *Oligarchiae* suasorem narrat, non *Aristocratiae*; Μεγάβυζος δὲ ὀλιγαρχίῃ ἐκέλευε ἐπιτρέπειν· — omisso, inquam, Herodoto, & laudatis tantum Scriptoribus Atticis, LYSIAM primum vocemus testem: Jam in ipso primae Orationis initio, quae est *de caede Eratosthenis* (pag. 2. ed. Tayl.) reperiemus: "De tali delicto per totam Graeciam eadem est „ sententia; & de hoc solo delicto, sive in *Democratiâ* sive in *Oligarchiâ*, eadem vindicta conceditur tenuissimis etiam civibus contra po„ tentissimos in civitate:" περὶ τούτου γὰρ μόνου τοῦ ἀδικήματος καὶ ἐν δημοκρατίᾳ καὶ ὀλιγαρχίᾳ ἡ αὐτὴ τιμωρία τοῖς ἀσθενεστάτοις πρὸς τοὺς τὰ μέγιστα δυναμένους ἀποδέδοται. Verissime, de longe maximâ saltem hominum parte, idem in Oratione *de eversione status popularis* (pag. 421.) "Primum quidem (ait) „ id in animo habere oportet, neminem mortalium naturâ suâ esse neque „ *Oligarchiae*, neque *Democratiae*, amicum; sed, prouti cuique haec il„ lave rei civilis forma nullum adfert commodum, ad eam evertendam „ toto pectore contendit:" πρῶτον μὲν οὖν ἐνθυμηθῆναι χρὴ, ὅτι οὐδείς ἐστιν ἀνθρώπων φύσει οὔτε ὀλιγαρχικὸς, οὔτε δημοκρατικὸς, ἀλλ' ἥτις ἂν ἑκάστῳ πολιτεία μὴ συμφέρῃ, ταύτην προθυμεῖται μεθίστασθαι. —— "Pauci, inquit PLATO in Epistolâ ad „ Perdiccam, (Tomo III. Opp. pag. 321. D.) — pauci sunt, qui juve„ nibus de Rep. rectum consilium dare possint: Est enim, quemadmodum „ animantium, ita & singularum formarum civitatis vox quaedam propria; „ alia est *Democratiae*, alia *Oligarchiae*, alia iterum *Monarchiae*: Et „ quamplures sunt, qui hasce singulas voces se intelligere prae se ferant; „ sed multum abest, ut eas plene percipiant, exceptis profecto paucis „ nonnullis:" ἔστι γὰρ δή τις φωνὴ τῶν πολιτειῶν ἑκάστης, καθαπερεί τινων ζώων· ἄλλη μὲν, δημοκρατίας, ἄλλη δ' ὀλιγαρχίας, ἡ δ' αὖ μοναρχίας. ταύτας φαῖεν μὲν ἂν ἐπίστασθαι πάμπολλοι, πλεῖστον δ' ἀπολείπονται τοῦ κατανοεῖν αὐτὰς, πλὴν ὀλίγων δή τινων. —— ISOCRATES in Panath. (pag. 257. B. ed. Stephan.) "ab „ istis (inquit) temporibus exordiar, quibus nec *Democratiae*, neque

„ *Oligarchiae* nomen usquam audiebatur; ſed *Monarchiae* (unius im-
„ peria) & Barbarorum nationes & omnes omnino Graeciae civitates
„ adminiſtrabant:" ἐκείνων τῶν χρόνων ἐπιλαβόμενος, ὅτ' οὐκ ἦν οὔτε δημοκρατίας, οὔτ' ὀλιγαρχίας ὄνομα πω λεγόμενον, ἀλλὰ μοναρχίαι καὶ τὰ γένη τῶν βαρβάρων, καὶ τὰς πόλεις τὰς Ἑλληνίδας ἁπάσας, διῴκουν. —— XENOPHON ipſo principio Cyropaediae: " Apud animum ſaepe reputavi meum, quot formae Reip. po-
„ pulares everſae ſint ab iis, qui aliâ quâcunque ſub formâ vivere mal-
„ lent quam ſub *Democratiâ*; quot viciſſim *Oligarchiae*, quot *Monar-*
„ *chiae* ſublatae fuerint a populis." Ἔννοιά ποθ' ἡμῖν ἐγένετο, ὅσαι δημοκρατίαι κατελύθησαν ὑπὸ τῶν ἄλλως πως βουλομένων πολιτεύεσθαι μᾶλλον ἢ ἐν δημοκρατίᾳ, ὅσαι τ' αὖ μοναρχίαι, ὅσαι τε ὀλιγαρχίαι ἀνῄρηνται ἤδη ὑπὸ δήμων. — DEMOSTHENES (ut de centenis unum adferamus exemplum) ubi meritas Areopagi laudes perſequitur in Oratione contra Ariſtocratem (pag. 413. 105. ed. Paris.) " Illi uni Tribunali (inquit) neque *Tyrannus*, neque *Oli-*
„ *garchia*, neque *Democratia*, judicia de caedibus auferre auſa eſt:" τοῦτο μόνον τὸ δικαστήριον, οὐχὶ τύραννος, οὐκ ὀλιγαρχία, οὐ δημοκρατία τὰς φονικὰς δίκας ἀφελέσθαι τετόλμηκεν. —— AESCHINES in ipſo initio Orationis contra Timarchum: Ὁμολογοῦνται γὰρ τρεῖς εἶναι πολιτεῖαι παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις· τυραννὶς, καὶ ὀλιγαρχία, καὶ δημοκρατία. διοικοῦνται δ' αἱ μὲν τυραννίδες καὶ ὀλιγαρχίαι τοῖς τρόποις τῶν ἐφεστηκότων· αἱ δὲ πόλεις αἱ δημοκρατούμεναι κ. τ. λ. —— Neque eſt, quod quisquam exiſtimet, ὀλιγαρχίαν veteribus illis Graecis eam rei civilis formam dictam eſſe, ubi vere *pauci*, Triginta e. gr. Tyranni, in civitate dominabantur; ἀριστοκρατίαν, ubi *plures*, ſed *natalibus aut certo cenſu inſignes & praecipui*: Fallitur egregie, qui id ſibi perſuadet. Ἀριστοκρατία illis ea fuit *forma*, *ubi Optimi*, *judicio Civium conſtituti*, *haud ſine Populo*, *Remp. adminiſtrabant*: Ὀλιγαρχία vero, ubi non *plures* tantum, ſed *mil-leni* etiam & ultra, Reip. erant participes, *excluſis reliquis civibus*. Ita e. gr. THUCYDIDES Lib. VIII. Cap. 76. οἱ μὲν τὴν πόλιν ἀναγκάζοντες δημοκρατεῖσθαι, οἱ δὲ τὸ στρατόπεδον ὀλιγαρχεῖσθαι. —— Quam autem ibi *Oligarchiam* vocat Thucydides, fuiſſe *Quadringentorum* hominum ex Cap. 72. praecedenti, atque ex aliis Hiſtoricis Graecis, conſtat; nec *Quadringentos* tantum per ſe ſolos dicit, ſed qui *quinque millia Civium*, quotiescunque libuisſet, in concionem, conſiliorum ſuorum participes, vocare poterant, caeteris ſuffragii jure ſpoliatis. Vid. eundem Cap. 67. JOANNEM TAYLORUM in vitâ Lyſiae pag. 38. Atque de hac eâdem *Quadringentorum Oligarchiâ* loquitur LYSIAS, quum ait in Orat. c. Eratoſth. pag. 206. ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῶν τετρακοσίων ἐν τῷ στρατοπέδῳ ὀλιγαρχίαν καθιστὰς, ἔφευγεν ἐξ Ἑλλη-

σπόντου

στάντες τεθνήραρχος κ. τ. λ. ibidemque de Theramene, qui inter praecipuos fuerat constituendorum CCCC. auctores: ὃς πρῶτον μὲν τῆς προτέρας ὀλιγαρχίας αἰτιώτατος ἐγένετο, πείσας τὴν ἐπὶ τῶν τετρακοσίων πολιτείαν ἑλέσθαι. — Quin, quod multo majus est, *trium millium hominum* in reliques cives dominatio ὀλιγαρχία, non ἀριστοκρατία, Graecis dicta est. Nimirum, quemadmodum, antequam Lacedaemonii Athenas totamque regionem Atticam occupassent, Pisander, Phrynichus, aliique Spartanorum fautores, cum Theramene caeterisque Oligarchiae patronis, quinque millia Civium se ex universâ Rep. lecturos fuerant professi, qui consiliorum suorum essent consortes & in exsequendis illis socii; ita &, quando jam, proditis captisque Athenis, idem Theramenes cum Critiâ, Chariclc, reliquisque *Triginta Tyrannis*, sub Lacedaemoniorum tutelâ, Remp. tenerent, illi (ut Taylori verbis utar) *tria millia civium adsciverunt, quibus imperii summam specie communicarent, reverâ autem satellitum loco haberent summaeque crudelitatis administros.* — Hunc autem ter mille civium numerum, qui *in catalogo* erant, dum reliqui, postquam arma illis ademta essent, omni suffragii jure privati, *extra catalogum* esse dicebantur, — hunc numerum, qui soli, exclusis reliquis civibus, ad concionem Populi admittebantur, XENOPHON ὀλιγαρχίαν vocat, non ἀριστοκρατίαν, Hellen. Lib. II. pag. 272. ed. Steph. ubi Critiam ad Senatores suos haec dicentem facit: " Cum vero noverimus Lacedaemoniis, qui sospitatores sunt ,, nostri, Populum huncce nunquam amicum, illos autem, qui optime ,, sentiunt, fidos illis perpetuo fore, propterea ex Lacedaemoniorum sen,, tentiâ & consilio hanc Remp. constituimus: Et, si quem intelligamus ,, *Oligarchiae* nostrae adversum, hunc, quantum possumus, de medio ,, tollimus: " γνόντες δὲ, ὅτι Λακεδαιμονίοις τοῖς περισώσασιν ἡμᾶς ὁ μὲν δῆμος οὔποτ' ἂν φίλος γένοιτο, οἱ δὲ βέλτιστοι ἀεὶ ἂν πιστοὶ διατελοῖεν, διὰ ταῦτα σὺν τῇ Λακεδαιμονίων γνώμῃ τήνδε τὴν πολιτείαν καθίσταμεν· καὶ, ἐάν τινα αἰσθανώμεθα ἐναντίον τῇ ὀλιγαρχίᾳ, ὅσον δυνάμεθα, ἐκποδὼν ποιούμεθα. — Atque his idcirco exemplis probasse mihi videor id, quod initio dicebam, omnes, qui ante Alexandri Magni aetatem floruerunt, Scriptores Atticos, τὴν ὀλιγαρχίαν semper opposuisse τῇ δημοκρατίᾳ, nunquam τὴν ἀριστοκρατίαν· immo hanc nunquam nisi *in laudem ac commendationem* appellasse: — Quod si quaeratur, quando itaque inter tres praecipuas rei civilis formas ἀριστοκρατία censeri coeperit, quin & tanquam *Libertati inimica* passim citari? — respondendum existimo, id ab ARISTOTELE profectum, non ita quidem ut is unquam ἀριστοκρατίας nomen in pejorem partem acceperit, quin potius illam semper commendaverit;

 sed

ſed ut primus ille eam formam Reipublicae, quamvis caetera felicis ac bene conſtitutae, in qua tamen ſumma rerum non eſt penes univerſum Populum, ἀριστοκρατίαν appellaverit: Quod alii deinceps nomen cum de *dominatione paucorum* adhiberent, contra Veterum, Ariſtotelis etiam & Polybii, exempla, ſine ullo diſcrimine, an iſta dominatio temperamentum aliquod reperiret, ſeu in liberis civium ſuffragiis, ſeu in cenſurâ quâdam aliove libramento; — ex illâ igitur conſuetudine recentiori nata noſtro eſt tempore ſignificatio, quae omnium ore teritur, ut iſtâ appellatione *odium Libertatis publicae* contineatur. Ariſtoteles quidem ab hoc uſu abfuit quam longiſſime: E. gr. de Carthaginienſium Rep. locutus, Polit. Lib. II. Cap. 9. ſedulo diſtinguit, quid in eâ formâ eſſet ἀριστοκρατικὸν, quid ὀλιγαρχικὸν, illud ſemper ad laudem, hoc ad vitium; " Forma *Ariſtocratiae* „ Carthaginienſis (inquit) vitioſe deflectit ad *Oligarchiam*, eâ maxime in „ re, quae pluribus probatur: Non tantum enim ex *Optimatibus*, ſed „ etiam pro *ratione cenſûs*, exiſtimant legi debere Magiſtratus; quippe „ fieri non poſſe, ut cui res anguſta ſit domi, bene praeſit civitati & „ otio ita abundet, ut muneri vacare poſſit: At vero pro *ratione cenſûs* „ legere Magiſtratus, *Oligarchicum* eſt; pro ratione autem *virtutis &* „ *praeſtantiae*, id *Ariſtocraticum*:" —— Παρεκβαίνει δὲ τῆς ἀριστοκρατίας ἡ τάξις τῶν Καρχηδονίων μάλιστα πρὸς τὴν ὀλιγαρχίαν, κατά τινα διάνοιαν, ἣ συνδοκεῖ τοῖς πολλοῖς· οὐ γὰρ μόνον ἀριστίνδην, ἀλλὰ καὶ πλουτίνδην οἴονται δεῖν αἱρεῖσθαι τοὺς ἄρχοντας· ἀδύνατον γὰρ τὸν ἀποροῦντα καλῶς ἄρχειν καὶ σχολάζειν. εἴπερ οὖν τὸ μὲν αἱρεῖσθαι πλουτίνδην, ὀλιγαρχικὸν· τὸ δὲ κατ' ἀρετὴν, ἀριστοκρατικόν. —— Similiter Cap. 10. ſequenti obſervat, " Senatum Areopagiticum aliquid habere ex „ *Oligarchiâ*: *Ariſtocratiae* conveniens eſſe, ut Magiſtratus populi ſuffra„ giis crëentur, non ducantur forte: Judicia autem Athenis ſecundum „ *formam popularem* eſſe conſtituta." Judicia nimirum, quae ſub communi *Heliaſtarum* nomine univerſa comprehendebantur, — illa ſorte conſtituebantur ex omni Populo, nullo claſſis diſcrimine habito, & pro praeſtitâ operâ mercedem judices accipiebant: In Areopagum contra nemo adſcendebat, niſi qui, duplici examine inſtituto, ad Archontis munus fuiſſet admiſſus, eoque per integrum annum, ſine culpâ, functus; antiquitus etiam tantum is, qui in unâ trium priorum Populi claſſium cenſeretur; εἶναι γὰρ τὴν μὲν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴν, ὀλιγαρχικὸν· τὸ δὲ τὰς ἀρχὰς αἱρετὰς, ἀριστοκρατικὸν· τὰ δὲ δικαστήρια, δημοτικόν. — Et, qui PLATONIS quidem octavum legerit *de Republicâ* librum, is facile animadvertit, quam prope illius veſtigia preſſerit diſcipulus Ariſtoteles. Ne plura deſcribamus, en pau-

paucis, e DIOGENE LAERTIO *Lib.* III. §. 82. desumtis, verbis universam de his Platonis sententiam: Τῆς πολιτείας ἐστὶν εἴδη πέντε. τὸ μὲν γὰρ αὐτῆς, ἐστὶ δημοκρατικόν. ἄλλο δὲ, ἀριστοκρατικόν. τρίτον δὲ, ὀλιγαρχικόν. τέταρτον, βασιλικόν. πέμπτον, τυραννικόν. Δημοκρατικὸν μὲν οὖν ἐστιν ἐν αἷς πόλεσι κρατεῖ τὸ πλῆθος, καὶ τὰς ἀρχὰς καὶ τοὺς νόμους δι' ἑαυτοῦ αἱρεῖται. Ἀριστοκρατία δέ ἐστιν, ἐν ᾗ μήθ' οἱ πλούσιοι, μήθ' οἱ πένητες, μήθ' οἱ ἔνδοξοι ἄρχουσιν, ἀλλ' οἱ ἄριστοι τῆς πόλεως προστατοῦσιν· ὀλιγαρχία δ' ἐστὶν, ὅταν ἀπὸ τιμημάτων αἱ ἀρχαὶ αἱρῶνται. ἐλάττους γάρ εἰσιν οἱ πλούσιοι τῶν πενήτων. τῆς δὲ βασιλείας, ἡ μὲν κατὰ νόμον, ἡ δὲ κατὰ γένος ἐστίν κ. τ. λ. — *Rei Civilis quinque sunt formae; harum enim alia quidem est popularis, (Democratica;) alia, Optimatium (Aristocratica;) tertia paucorum, (Oligarchica;) quarta, Regia; quinta, Tyrannica. Jam porro Democratica forma est in illis Civitatibus, ubi multitudo summam rerum tenet, Magistratusque & Leges sibi ipsa per se creat. Aristocratia vero est, in qua neque divites, neque tenuiores, neque natalibus aut loco illustres, potiori aliquo jure imperant, sed Optimi civitati praesunt. Oligarchia autem est, ubi Magistratus leguntur pro ratione censûs: Pauciores enim sunt pauperibus divites. Sed in Regiâ formâ, haec dignitas vel defertur ex Lege, vel jure natalium ex aliquâ familiâ* &c. — Igitur, secundum Platonem, ab *Oligarchiâ*, ubi pauci imperant jure aliquo *natalium* aut *censûs* praecipuo, tantum distat *Aristocratia*, quantum a *Democratiâ*. In hac nimirum promiscue Populus *per se* Magistratus creat & sibi fert Leges: In *Aristocratiâ* vero, certâ ratione, *Optimi* & ad Leges ferundas & ad Remp. administrandam constituuntur: Qualem & formam sibi optabat Megabyzus Herodotéus, quamvis ab Historico *Oligarchiae* patronus dicatur: Ἡμεῖς δὲ ἀνδρῶν τῶν ἀρίστων ἐπιλέξαντες ὁμιλίην, τούτοισι περιθέωμεν τὸ κράτος. —— Ἀρίστων δὲ ἀνδρῶν εἰκὸς ἄριστα βουλεύματα γίνεσθαι. —— Hoc autem, quod inter *Oligarchiae* atque *Aristocratiae* appellationes certum ac perpetuum apud Veteres est, discrimen quantum valeat in legendis intelligendisque Scriptoribus, praesertim Atticis, dici vix potest, nec quantum a vero aberraverint aut in quos inciderint errores, ad illud haud satis attendentes, Viri etiam primarii. —— Namque (ut vel unum in medium adferamus exemplum) si ista: Ἀριστοκρατίᾳ δὲ ἐχρήσαντο μέχρι τῶν Τετρακοσίων apud AELIANUM Var. Hist. Lib. V. Cap. 13. secundum ea, quae modo tradidimus, interpretatus esset summus JOSEPHUS JUSTUS SCALIGER, in Animadversionibus ad Eusebium N°. 1433. pag. 80. non scripsisset, *se AEliani verba non intelligere*; neque PERIZONIUS, dum ibi sive priorum Interpretum, sive Meursii etiam, Maussaci, atque Valesii sen-

ſententias aut conjecturas refellit, longe gravius ipſe fuiſſet lapſus, tum alia ſcribens, quae probari nequeunt, tum praeſertim τὺς Τετρακοσίυς explicans Senatum illum, qui quidem ante Cliſthenem *Quadringentorum* fuit, neque tamen unquam a Scriptoribus Atticis iſto nomine, ſed ſemper οἱ Πεντακόσιοι appellatur, vel ἡ βυλὴ οἱ Πεντακόσιοι, ἡ τῶν Πεντακοσίων vel ἡ ἀπὸ τῦ κυάμυ βυλή. — Quaſi vero (ſi fides Perizonio) *Ariſtocratia* fuiſſet ante Solonem ſub novem Archontibus, (quos *Novem-viros* ante Solonem fuiſſe neque probari poteſt, nec forte verum eſt;) Solon autem, conſtituto *Quadringentorum* Senatu, everſâ Ariſtocratiâ, meram Democratiam fundaſſet: Sed fallitur: Ἀριστοκρατία enim ab AEliano ſeu ab illo, quem recentior hic deſcripſit Rhetor, dicebatur *temperata illa ex populari imperio & Optimorum auctoritate atque conſiliis forma*, quam inſtituit Solon, ad meram Democratiam magis inflexit Cliſthenes, plane inclinavit Ariſtides, tandemque fregit Pericles, ita ut, paucos poſt annos, ex effuſâ populi licentiâ nata fuerit *Quadringentorum* Oligarchia, huic vero brevi ſucceſſerit Critiae ſociorumque Tyrannis. Idcirco haec Aeliani mens eſt: " Athenienſes in ,, mutandâ Reip. ſuae formâ vehementer fuerunt leves, & ad converſiones ,, ſtatus civilis omnium maxime proni: Namque regnum moderate tule- ,, runt ſub Cecrope, ſub Erechtheo, ſub Theſeo, & ſub Codridis, qui ,, deinceps ſecuti ſunt: Tyrannidis experimentum fecerunt ſub Piſiſtrati- ,, dis: *Temperatâ Optimatium conſiliis formâ populari* uſi ſunt ad *Qua-* ,, *dringentorum* usque Oligarchiam, quando nempe poſt Piſiſtratum De- ,, cem-viri e civibus lecti ſingulis annis Civitati praefuerunt: Tandemque ,, Anarchia exſtitit, cum Triginta-Virorum Tyrannis fuit conſtituta." Niſi per *Decem-viros* intelligamus *decem Proedros*, qui, cum reliquis Senatoribus quotannis lecti, per legitimum tempus Senatui, totique adeo Reipublicae, praeerant, *novem Archontes cum Scriba* Decem-virale conſtituebant Collegium. Vid. SCHOL. ARISTOPH. ad Plutum v. 277. in quo quantivis pretii Scholio pro καὶ ἑνδέκατος legendum eſſe καὶ δέκατος ὁ γραμματεὺς alio tempore locoque demonſtrabimus. —— Nunc e longiori diverticulo tandem redeundum in viam, & quidem ad vocis ἀριστοκρατίας apud ARISTOTELEM uſum. — Ergo, ubi idem Philoſophus accuratius diſcrimina variasque tradit notas, quibus tres regiminis formae praecipuae a ſe invicem diſtinguantur, *regnum* pro more vocat βασιλείαν: *potentiam plurium quam unius*, ἀριστοκρατίαν: *formam popularem*, πολιτείαν: ita tamen ut in tribus hiſce formis *communis Reip. utilitas* unice ſpectetur; quod niſi fiat, βασιλεία, ſecundum ejus definitionem, abit in

τυ-

τυραννίδα· ἀριστοκρατία in ὀλιγαρχίαν· πολιτεία in ὀχλοκρατίαν. Ἀριστοκρατίαν autem appellari docet, " ſive quia in eâ ἄριστοι vel *Optimi* imperium teneant, ſive „ quoniam illa maxime omnium τὸ ἄριστον, i. e. quod Civitati *optimum* „ eſſet, pro normâ & fine haberet: In duobus enim prioribus formis, „ *Regno* & *Ariſtocratiâ*, fieri poſſe, ut, qui potentiam tenet, prae reli„ quis *virtute* excellat; id fieri non poſſe in formâ populari, ubi neces„ ſario dominantur, qui plus *virium* habent, id eſt, *multitudo armata*." Polit. Lib. III. Cap. 5. καλεῖν δ' εἰώθαμεν, τῶν μὲν μοναρχιῶν τὴν πρὸς τὸ κοινὸν ἀποβλέπουσαν συμφέρον, βασιλείαν· τὴν δὲ τῶν ὀλίγων μὲν, πλειόνων δ' ἑνὸς, ἀριστοκρατίαν, ἢ διὰ τὸ τοὺς ἀρίστους ἄρχειν, ἢ διὰ τὸ πρὸς τὸ ἄριστον τῇ πόλει καὶ τοῖς κοινωνοῦσιν αὐτῆς κ. τ. λ. —— Atque haec eſt prima origo totius doctrinae, quam cum a praeceptore ſuo accepiſſent Ariſtotelici, in omni Philoſophiâ & elegantiori doctrinâ tunc principatum tenentes, mox illam Stoici, idem cum Ariſtotelicis, tum aliis in cauſſis, tum praeſertim in Politicis, ſentientes, rerumque civilium tractandarum ſuaſores ſummi, deinceps ad ſeros usque poſteros, Romanos inprimis, propagarunt, ita ut tria iſta nomina, vulgi etiam dictis opinionibusque, teri coeperint; quare de illis vere POLYBIUS, τρία μὲν ἃ πάντες θρυλλοῦσι: Ipſe autem, quem dicebamus, Polybius poſt Ariſtotelem praecipuus auctor eſt, & velut fons omnium, quae de formis civilibus inſtitui ſolent, diſputationum, in celebratiſſimâ illâ diſceptatione, quam ex *ſexto Hiſtoriarum Libro* felix nobis ſervavit fatum: Atque ibi quidem ita differit, ut, quae ab Ariſtotele accepiſſet, planiſſime confirmaret & in dijudicandâ Republicâ Romanâ adhiberet: Οὐδὲ μὴν πᾶσαν ὀλιγαρχίαν (inquit) ἀριστοκρατίαν νομιστέον· ἀλλὰ ταύτην, ἥ τις ἂν κατ' ἐκλογὴν ὑπὸ τῶν δικαιοτάτων καὶ φρονιμωτάτων ἀνδρῶν βραβεύηται. *Neque cenſendum eſt omnem Oligarchiam pro Ariſtocratiâ eſſe habendam: ſed illa demum Ariſtocratia eſt, ubi viri juſtiſſimi & prudentiſſimi, e Populo lecti, ſummae rei praeſunt*, (pag. 629. ed. Gronov.) —— Ab his quoque initiis profectus CICERO (Lib. III. de Republicâ, apud AUGUSTINUM de Civ. Dei Lib. II. Cap. 21.) *Respublica res eſt populi, cum bene ac juſte geritur, ſive ab uno Rege, ſive a paucis Optimatibus, ſive ab univerſo Populo. Cum vero injuſtus eſt Rex, quem Tyrannum voco; aut injuſti Optimates, quorum conſenſus factio eſt; aut injuſtus ipſe Populus, cui nomen uſitatum nullum reperio, niſi ut etiam ipſum Tyrannum appellem; non jam vitioſa, ſed omnino nulla Respublica eſt, quoniam non eſt res Populi, cum Tyrannus eam factiove capeſſat: Nec ipſe Populus jam Populus eſt, ſi ſit injuſtus, quoniam non eſt multitudo juris*

 con-

consensu & utilitatis communione sociata. — Idcirco, ut paucis cuncta, quae disputavimus ipsisque Veterum locis probavimus, complectamur; — quando constat ἀριστοκρατίαν apud illos nunquam nisi ad laudem appellari; nunquam *formae populari* opponi, sed ὀλιγαρχίαν; nunquam haberi inimicam Libertatis publicae, immo magis ejus conservatricem, Oligarchiae & Democratiae saluberrimum temperamentum, ac contra discordias turbasque civiles firmissimum praesidium; — quando porro Aristoteles atque Polybius, quamquam primi de illâ egerunt ut unâ de tribus formis praecipuis, eam tamen speciem dixerunt Reipublicae, in qua *Virtutis* prae aliis habetur ratio; — quando denique ab istâ sententiâ istâque definitione non discesserunt Grotius, Conringius, Hornius, Huberus, reliqui, qui de *Re Civili* scripserunt; quin ipse Montesquieuius Civitati, in quâ *Optimates* rerum summae praesunt, a *Virtute* vires motrices conciliari docuerit, haud minus quam formae populari; — quid, cum haec omnia ita sint, de isto usu ac consuetudine, pene scripseram, *vulgari*, nisi ab aliis etiam quam a vulgo passim audiretur, — quid de istâ igitur consuetudine, quam dicebamus, nostrae maxime aetatis, ejusque vi, censendum sit, judicium esto — penes quem hodie? — penes aequam Posteritatem.

Pag. 21. *Ex eodem* ISOCRATE, *ex* PLATONE, *& (quem primum laudare debueram) ex* ARISTOTELE, *a quovis vestrûm facile petentur.*] Male sedulae diligentiae foret omnia, quae huc faciant, loca describere, Aristotelis praesertim, per universum *Politicorum* opus, dispersa; quae, quam multa etiam, talia sunt tamen, ut desiderium non restinguant, quin potius excitent & inflamment egregii operis περὶ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας, quod si prae *Metaphysicis* summi Philosophi Libris similibusque servasset, Literis Atticis inimicum nimis, fatum, operâ supersedere potuissemus, qui nunc de rebus Atheniensium scribimus, conjecturâ plerumque ducti, aliquando etiam in tenebris quod verum est quaerentes. — ISOCRATIS, quo nemo Oratorum est ad cognoscendam Historiam Atticam utilior, vel unum adhuc locum digito velut monstrare liceat, qui est in Oratione de Pace valde insignis (pag. 167—169. ed. Steph.) Audacter illic vitia, quae Civitati Atticae gravia incumbebant, reprehendens, " quis (inquit) peregre
" huc adveniens, & nostra contage nondum corruptus, sed tanquam ex
" improviso media inter nostra negotia delatus, — quis non putet furere
" nos & delirare, qui quidem gestis nos efferimus majorum nostrorum,
" atque ex illis, quae olim fuere facta, laudem & commendationem nostrae

" Ci-

„ Civitati petimus, nihil tamen facimus eorundem quae illi, ſed plane „ contraria patramus." — Et paulo poſt. — " Formae autem noſtrae „ popularis haud minus ſtudioſi quam ſi de ſalute civitatis univerſae aga„ tur, neque ignorantes Democratiam rebus tranquillis pacatisque creſce„ re, ſtabilemque permanere, bellis vero jam bis eſſe everſam, cum illis „ tamen, qui pacem optant, tanquam Oligarchiae fautoribus, ſimultates „ exercemus; eos autem, qui in bellum nos conjiciunt, tanquam de tuen„ dâ Democratiâ ſollicitos, bene nobis velle exiſtimamus. Et, quamvis „ dictorum factorumque dijudicandorum peritiſſimi, ita ſumus rationis ex„ pertes, ut eodem die de rebus iisdem eadem non ſentiamus, ſed quae, „ priusquam in concionem adſcenderimus, culpabamus, ea mox in con„ ventum Populi congregati ſublatâ manû comprobemus; neque longo poſt „ tempore, domum reverſi, iterum reprehendamus, quae modo ſuffragiis „ noſtris ſunt decreta. Qui autem, Graecorum nos ſapientiſſimos eſſe, „ prae nobis ferimus, iis utimur conſultoribus, quos nemo eſt qui non „ contemnat, ſummaeque rerum omnium praeſicimus, quibus nemo rem „ familiarem curandam mandaret." —— Τίς γὰρ ἄλλοθεν ἐπελθών, καὶ μήπω συνδιεφθαρμένος ἡμῖν, ἀλλ᾽ ἐξαίφνης ἐπιστὰς τοῖς γιγνομένοις, οὐκ ἂν μαίνεσθαι καὶ παραφρονεῖν ἡμᾶς νομίσειεν; οἳ φιλοτιμούμεθα μὲν ἐπὶ τοῖς τῶν προγόνων ἔργοις, καὶ τὴν πόλιν ἐκ τῶν τότε πραχθέντων ἐγκωμιάζειν ἔχομεν, οὐδὲν δὲ τῶν αὐτῶν ἐκείνοις πράττομεν, ἀλλὰ πᾶν τοὐναντίον. — Σπουδάζοντες δὲ περὶ τὴν πολιτείαν οὐχ ἧττον ἢ περὶ τὴν σωτηρίαν ὅλης τῆς πόλεως, καὶ τὴν δημοκρατίαν εἰδότες ἐν μὲν ταῖς ἡσυχίαις καὶ ταῖς ἀσφαλείαις αὐξανομένην καὶ διαμένουσαν, ἐν δὲ τοῖς πολέμοις δὶς ἤδη καταλυθεῖσαν, πρὸς μὲν τοὺς τῆς εἰρήνης ἐπιθυμοῦντας, ὡς πρὸς ὀλιγαρχικοὺς ὄντας, δυσκόλως ἔχομεν, τοὺς δὲ τὸν πόλεμον ἐμποιοῦντας, ὡς τῆς δημοκρατίας κηδομένους εἶναι νομίζομεν· ἐμπειρότατοι δὲ λόγων καὶ πραγμάτων ὄντες, οὕτως ἀλογίστως ἔχομεν, ὥστε περὶ τῶν αὐτῶν τῆς αὐτῆς ἡμέρας οὐ ταυτὰ γινώσκομεν, ἀλλ᾽ ὧν μὲν πρὶν εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἀναβῆναι κατηγοροῦμεν, ταῦτα συνελθόντες χειροτονοῦμεν, οὐ πολὺν δὲ χρόνον διαλείποντες, τοῖς ἐνταῦθα ψηφισθεῖσιν, ἐπειδὰν ἀπίωμεν, πάλιν ἐπιτιμῶμεν· προσποιούμενοι δὲ σοφώτατοι τῶν Ἑλλήνων εἶναι, τοιούτοις συμβούλοις χρώμεθα, ὧν οὐκ ἔστιν ὅστις οὐκ ἂν καταφρονήσειε, καὶ τοὺς αὐτοὺς τούτους κυρίους τῶν κοινῶν ἁπάντων καθίσταμεν, οἷς οὐδεὶς ἂν τῶν ἰδίων οὐδὲν ἐπιτρέψειεν. — Inter PLATONICA denique lectu omnium digniſſima eſt Epiſt. VII. quae eſt *ad Dionis propinquos & familiares* (Tomo III. pag. 325. ed. Stephan.) ubi e pluribus haec tantum deſcribemus: — Οὐ γὰρ ἔτι ἐν τοῖς τῶν πατέρων ἤθεσι καὶ ἐπιτηδεύμασιν ἡ πόλις ἡμῶν διῳκεῖτο· — τά τε τῶν νόμων γράμματα καὶ ἔθη διεφθείρετο, καὶ ἐπεδίδου θαυμαστὸν ὅσον. — *Non amplius enim* (illâ, qua Socrates damnatus eſt, aetate,) *Civitas haec noſtra majorum diſciplinâ atque in-*

institutis administrabatur: — Legumque verba ac mens violata jacebant; creveratque, mirum quantum, haec Reip. corruptela.

Pag. 22. *Horum omnium malorum testis & spectator fuit Socrates.*] Non possum quin integrum describam SENECAE locum Ep. CIV. (pag. 520. ed. Gronov.) *Si tamen exemplum desideratis, accipite Socratem, perpessitium senem, per omnia aspera jactatum, invictum tamen. — Sic fere aut in bello fuit, aut in Tyrannide, aut in Libertate, bellis ac Tyrannis saeviore. Viginti & septem annis pugnatum est: Post finita arma, triginta Tyrannis noxae dedita est Civitas, ex quibus plerique inimici erant. Novissima damnatio est sub gravissimis nominibus impleta: Objecta est & religionum violatio, & juventutis corruptela, quam immittere in Deos, in Patres, in Remp. dictus est. Post haec carcer & venenum. Haec usque eo animum Socratis non moverunt, ut ne vultum quidem moverint. Illam mirabilem laudem & singularem usque ad extremum servavit: Non hilariorem quisquam, non tristiorem Socratem vidit: AEqualis fuit in tantâ inaequalitate fortunae.*

Ibid. in f. *Quemadmodum, cum saevissimi mali labes innumerabiles Athenienses quotidie raperet* &c.] Nescio, an cognita magis sit omnibus truculentissima pestis, quae Athenis ipso belli Peloponnesiaci initio, tanquam funestissimum omen futurorum malorum, grassata est, an magis celebrata Thucydidéa hujus luis descriptio, atque ex illo expressa Lucretiana, quando

— mortifer aestus
Finibus Cecropiis funestos reddidit agros,
Vastavitque vias, exhausit civibus urbem.

— Temperantiâ quoque eum (Socratem) *fuisse tantâ traditum est, ut omnia fere vitae suae tempora valetudine inoffensâ vixerit. In illius etiam pestilentiae vastitate, quae, in belli Peloponnesiaci principiis, ipsam Atheniensium civitatem internecino genere morbi depopulata est, iis parcendi moderandique rationibus dicitur & a voluptatum labe cavisse, & salubritates corporis retinuisse, ut nequaquam fuerit communi omnium cladi obnoxius.* GELLIUS Noct. Att. Lib. II. Cap. I. — Eadem DIOG. LAERT. Lib II. §. 25. AELIANUS Var. Hist. Lib. XIII. Cap. 27. Conf. GASSENDUM de vitâ & moribus Epicuri Tom. II. pag. 124.

Pag. 23.

Pag. 23. in f. *Talis fuit Socrates, quem quod forti & constanti animo esset* &c.] Inter crimina, quibus Philosophum apud Judices populares onerabant Anytus, caeterique Libertatis Atticae (ut haberi se volebant) defensores, illud etiam erat, de quo alias agemus, *Democratiae illum esse inimicum*, ordinisque plebeji contemtorem: Dum illam diluit calumniam Xenophon Ἀπομν. Lib. I. Cap. 2. §. 60. ed. Ernest. (pag. 420. ed. Steph.) Ἀλλὰ Σωκράτης γε, τἀναντία τούτων, (inquit) φανερὸς ἦν καὶ δημοτικὸς καὶ φιλάνθρωπος ὤν. ἐκεῖνος γὰρ πολλοὺς ἐπιθυμητὰς καὶ ἀστοὺς καὶ ξένους λαβών, οὐδένα πώποτε μισθὸν τῆς συνουσίας ἐπράξατο, ἀλλὰ πᾶσιν ἀφθόνως ἐπήρκει τῶν ἑαυτοῦ. — Diogenis Laertii locus est Lib. II. §. 24 ἦν δὲ καὶ ἰσχυρογνώμων καὶ δημοκρατικός, ὡς δῆλον ἔκ τε τοῦ μὴ εἶξαι τοῖς περὶ Κριτίαν κ. τ. λ. — Socratem *derisorem maxime potentium* fuisse, *a quibus beneficia accipere nolebat, quod reddere illis paria non posset*, Seneca scribit *de Benef.* Lib. V. Cap. 6. (pag. 753. ed. Gronov.) Qualem igitur virum postea ut Oligarchiae studiosum, quique laudaret παίεσθαι τοὺς δημότας καὶ πένητας, apud Judices populares fuisse accusatum, miraremur, nisi vere idem observaret Seneca, *bellis ac Tyrannis Libertatem*, sub Demagogis Anyto, Lycone, similibusque, Athenis *fuisse saeviorem*.

Pag. 24. *Et tamen idem ille Socrates pulchre noverat — tum civium suorum tum ipsius civitatis vitia.*] Σωκράτης δὲ τῇ μὲν Ἀθηναίων πολιτείᾳ οὐκ ἠρέσκετο· τυραννικὴν γὰρ καὶ μοναρχικὴν ἑώρα τὴν δημοκρατίαν οὖσαν. *Socrati forma Atheniensium civilis, quae suâ erat aetate, haud placebat: Tyrannicam enim atque Monarchicam videbat esse Democratiam.* Aelian. Var. Hist. Lib. III. Cap. 17. — Quod idem Platonis, idem Xenophontis, idem Aristotelis fuit judicium, suâ ipsorum experientiâ confirmatum. Et Plato quidem, qui vere censebat (Tomo III. Opp. pag. 353. D.) κύκλον τινὰ εἶναι τὸ τυραννικὸν ἅπαν καὶ τὸ δημοτικὸν γένος, de se ipse ad Perdiccam scribit, ὅτι Πλάτων ὀψὲ ἐν τῇ πατρίδι γέγονε, καὶ τὸν δῆμον κατέλαβε ἤδη πρεσβύτερον, καὶ εἰθισμένον ὑπὸ τῶν ἔμπροσθεν πολλὰ καὶ ἀνόμοια τῇ ἐκείνου ξυμβουλῇ πράττειν· ἐπεὶ πάντων ἂν ἥδιστα, καθάπερ πατρί, συνεβούλευεν αὐτῷ, εἰ μὴ μάτην μὲν κινδυνεύσειν ᾤετο, πλέον δ' οὐδὲν ποιήσειν: *Platonem, sero in Patriâ natum, Populum deprehendisse jam senio desipientem, & ita ab illis, qui superiori vixerant tempore, adsuefactum, ut multa faceret ab illius consilio plane aliena; quando caeteroquin lubentissime ipsi consuluisset, tanquam Patri, nisi frustra se in pericula, id faciens, atque discrimina conjecisset, neque ultra effecisset quidquam.* Igitur, ut supra Ciceronis verbis retulimus, Remp. non attingens, & in Ly-

ceo suo velut latens, Plato diem supremum in Patriâ placide obiit, quod neque Xenophonti contigit, neque Aristoteli; namque hic, qui Athenas pro alterâ habuerat Patriâ, quum ibi σῦκον videret ἐπὶ σύκῳ, forumque, comitia & theatra, calumniatoribus plena, ἀπέλιπε τὰς Ἀθήνας, μὴ βουλόμενος Ἀθηναίους δὶς ἐξαμαρτεῖν εἰς φιλοσοφίαν, teste AELIANO V. H. Lib. III. Cap. 36.

Ibid. " *Quis, aiebat, vel domus suae fabrum, quisve navis guberna-* „ *torem forte legere velit.*] Locus est apud XENOPH. Ἀπομν. Lib. I. Cap. 2. §. 9. ed. Ernest. (pag. 415. 7. ed. Steph.) Ἀλλὰ, νὴ Δία, ὁ κατήγορος ἔφη, ὑπερορᾷν ἐποίει τῶν καθεστώτων νόμων τοὺς συνόντας, λέγων ὡς μωρὸν εἴη τοὺς μὲν τῆς πόλεως ἄρχοντας ἀπὸ κυάμου καθίστασθαι, κυβερνήτῃ δὲ μηδένα θέλειν κεχρῆσθαι κυαμευτῷ, μηδὲ τέκτονι, μηδ' ἐπ' ἄλλα τοιαῦτα, ἃ πολλῷ ἐλάττονας βλάβας ἁμαρτανόμενα ποιεῖ τῶν περὶ τὴν πόλιν ἁμαρτανομένων. ISOCRATIS locum, eadem cum Socrate Xenophontéo sentientis, ex Oratione Areopagiticâ (pag. 143. ed. Steph.) supra jam descripsimus: Καὶ διὰ ταύτης ᾤκουν τὴν πόλιν, οὐκ ἐξ ἁπάντων τὰς ἀρχὰς κληροῦντες, ἀλλὰ τοὺς βελτίστους, καὶ τοὺς ἱκανωτάτους, ἐφ' ἕκαστον τῶν ἔργων προκρίναντες, κ. τ. λ. Conf. JAC. PERIZON. ad AELIAN. V. H. Lib. VIII. Cap. 10. — Diocles, Syracusanorum Legislator, cum formam popularem Civitatis intenderet, τῶν δημαγωγῶν ὁ πλεῖστον παρ' αὐτοῖς ἰσχύσας, ἔπεισε τὸν δῆμον μεταστῆσαι τὴν πολιτείαν εἰς τὸ κλήρῳ τὰς ἀρχὰς διοικεῖσθαι. — teste DIOD. SIC. Lib. XIII. Cap. 34. cujus rei & Democratiae, a Diocle institutae, quis fuerit eventus, exorta mox docuit Dionysii Tyrannis, postquam hic civibus persuasisset, Duces esse debere μὴ τοὺς δυνατωτάτους, ἀλλὰ τοὺς εὐνουστάτους καὶ δημοτικοὺς μᾶλλον· ἐκείνους μὲν γὰρ δεσποτικῶς ἄρχοντας τῶν πολιτῶν, καταφρονεῖν τῶν πολλῶν, καὶ τὰς τῆς πατρίδος συμφορὰς ἰδίας ἡγεῖσθαι προσόδους· τοὺς δὲ ταπεινοτέρους οὐδὲν πράξειν τῶν τοιούτων, δεδιότας τὴν περὶ αὐτοὺς ἀσθένειαν, narrante eodem DIOD. SIC. ib. Cap. 91.

Pag. 24. in f. *A Scriptore Axiochi reliquisque Scriptoribus Atticis depingitur tanquam ingratus* &c.] Locus est in Dialogo *de Morte*, qui sub AESCHINIS SOCRATICI nomine fertur, eleganti Libello, sed qui comptiori oratione scriptus, quam veteres illi Socratici solebant, νοθείας vel ψευδωνυμίας suspicionem vix effugit, Cap. 12. ubi Axiochus: Καὶ ἔγωγε ἐξ ἐκείνου ἄλις ἔσχον τοῦ βήματος, καὶ χαλεπώτερον οὐδὲν ἐφάνη μοι πολιτείας· δῆλον δὲ τοῖς ἐν τῷ ἔργῳ γενομένοις. σὺ μὲν γὰρ οὕτω λαλεῖς ὡς ἐξ ἀπόπτου θεώμενος, ἡμεῖς δὲ ἴσμεν ἀκριβέστερον οἱ διὰ πείρας ἰόντες. δῆμος γὰρ, ὦ φίλε Σώκρατες, ἀχάριστον, ἁψίκορον, ὠμὸν, βάσκανον, ἀπαίδευτον. ὡς ἂν συνηρανισμένον ἐκ σύγκλυδος ὄχλου, καὶ βιαίων φλυ-

φλυάρων. ὁ δὲ τούτῳ προσεταιριζόμενος, ἀθλιώτερος μακρῷ. *Atque me quidem ab illo inde tempore ſuggeſti oratorii ſatietas cepit, neque mihi moleſtius quidquam viſum eſt, quam in formâ populari ſummae rerum eſſe participem: Perſpicuum hoc autem iis eſt, qui in hoc opere fuerunt verſati: Nam tu quidem de iſto negotio ita loqueris, tanquam qui illud de loco altiori tutus ſpectaſti: Nos vero id accuratius novimus, qui experiundo didicimus: Populus enim, o amice Socrates, ingratum quidpiam eſt, faſtidioſum, crudele, invidum, & protervum; velut conflatum ex colluvie turbae promiſcuae, nugatorumque violentorum. Qui autem huic multitudini ſe ſocium jungit, is infelicior longe eſt.* Iſto in loco βῆμα interpretatus ſum *ſuggeſtum*, quo nempe Demagogi conſiſtebant ad populum verba facientes, non *tribunal*, ut fecerunt Clericus atque Horreus, quibus & πολιτεία ſimpliciter eſt *adminiſtratio Reipublicae*, quemadmodum & Cap. 12. praecedenti: Ἀλλ' ἡ πολυτίμητος πολιτεία διὰ πόσων ἐλαύνεται δεινῶν; vertitur illis: *At magni facienda (aut plurimum honoranda) Reip. adminiſtratio per quot mala peragitur*? Interpretandum fuerat: *At enimvero iſta adminiſtratio Reip. popularis, tam habita in pretio, tam multorum votis expetita, per quot non mala illa velut praecipitat ac ruit*? Quamquam enim πολιτεία univerſe eſt *omnis adminiſtratio Reipublicae*, proprie tamen & κατ' ἐξοχὴν, praeſertim ſi de *Civitate Atticâ* ſermo eſt, *Democratiam* notat *formamque popularem*. Vel unus teſtis ſufficit Aristot. Polit. Lib. III. Cap. 5. ὅταν δὲ τὸ πλῆθος πρὸς τὸ κοινὸν πολιτεύηται συμφέρον, καλεῖται τὸ κοινὸν ὄνομα πασῶν τῶν πολιτειῶν, πολιτεία. Harpocrat. v. πολιτεία. ἰδίως εἰώθασι τῷ ὀνόματι χρῆσθαι οἱ ῥήτορες ἐπὶ τῆς δημοκρατίας. Eadem habent Suidas & qui dicitur Ulpianus ad Demoſth. pag. 59. 50. — Atque iſtum Clerici Horreique errorem aliis etiam Interpretibus communem memini; quamquam nuper, quid verum ſit, monuit Vir inter paucos Rerum Atticarum, ut univerſe Literarum Graecarum, peritus, Fridericus-Augustus Wolfius in Comment. ad Demoſthenis Leptineam pag 233. — Paucis porro Scriptor Axiochi judicium Socratis Socraticorumque expreſſit de πολιτείᾳ Atticâ, qualis ſuâ erat aetate, Periclis potiſſimum operâ: Pluribus id egit Plato, tum alibi, tum inprimis *in Gorgia*, ubi Calliclem, artium & fraudum, quibus iſta forma innitebatur, patronum ſummum, eo adigit Socrates, ut fateatur, neminem inter πολιτευομένους eo tempore fuiſſe *virum honeſtum & probum*: Ipſe autem Philoſophus, quum dixiſſet τοσαῦτος ἐστιν ἄρχων ἀγαθὸς καὶ ἀπαίδευτος, mox demonſtrat, qui Populo Athenienſi in ſuggeſto atque gerendâ Rep. placere vellet, ipſi id agendum eſſe, ut

ſe

ſe *tali domino* reddat quam ſimillimum: ἡ αὐτὴ αὐτῷ ὁδός ἐστιν, εὐθὺς ἐκ νέου ἐθίζειν αὐτὸν τοῖς αὐτοῖς χαίρειν καὶ ἄχθεσθαι τῷ δεσπότῃ, καὶ παρασκευάζειν ὅπως ὁτιμάλιστα ὅμοιος ἔσαι ἐκείνῳ (Tom. I. pag. 510. D. ed. Steph.) — Quumque non diſſimularet maximam corruptelae publicae cauſſam eſſe Oratores atque Demagogos, οἱ πρὸς ἡδονὴν ὡμίλουν τῷ πλήθει, rogaſſetque Calliclem (Tomo I. pag. 502. D.) τί δὲ ἡ πρὸς τὸν Ἀθηναίων δῆμον ῥητορικὴ, καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς ἐν ταῖς πόλεσι δήμους; τοὺς τῶν ἐλευθέρων ἀνδρῶν, τί ποτε ἡμῖν αὕτη ἐστι; addidiſſetque, ſe quidem judice, " Demagogos iſtos, qui, ſive Athenis, „ ſi ad alium quemcunque Populum, in civitate liberâ, de ſuggeſto verba „ facere conſueviſſent, in id unice incumbere, ut commoda promoverent „ ſua, ſalutem publicam parum curantes; quae privata commoda dum „ ſpectarent, illos cum Populo agere ut cum pueris, gratificari ipſi unice „ conatos;" — poſtquam igitur haec & plura ſcripſiſſet Plato, ἀλλὰ τόδε μοι εἰπὲ (inquit) εἰ λέγονται Ἀθηναῖοι διὰ Περικλέα βελτίους γεγονέναι, ἢ πᾶν τοὐναντίον διαφθαρῆναι ὑπ' ἐκείνου· ταυτὶ γὰρ ἔγωγε ἀκούω Περικλέα πεποιηκέναι Ἀθηναίους, ἀργοὺς καὶ δειλοὺς καὶ λάλους καὶ φιλαργύρους, εἰς μισθοφορὰν πρῶτον καταστήσαντα: *Enimvero dic mihi, anne Athenienſes ferantur Periclis operâ meliores eſſe facti, anne prorſus contra ab illo corrupti? Equidem ſane hoc dici audio, a Pericle factos Athenienſes deſides, timidos, garrulos, pecuniae inhiantes, quum ille primus mercenariae operae merentes fecerit ſtipendia.* — Nimirum, ut ARISTOTELES ait Polit. Lib. II. Cap. 10. τὰ δὲ δικαστήρια μισθοφόρα κατέστησε Περικλῆς, Heliaſticum nempe Collegium, & quae iſtius Collegii partem faciebant Tribunalia, non autem Areopagum &, qui ad Areopagitas pertinebant, Ephetas: Quin & a Pericle profectam μισθοφορίαν Civium, qui concioni aderant, eſt quod ſuſpicemur. — Sed haec quidem a propoſito jam ſunt aliena. Ad judicium, quod de Populo Athenienſi tulit Socrates, redeamus: Atque illud ſeverum nimis, tanquam a Philoſopho, qui ultra certos ſapiebat fines, pronunciatum, nemo exiſtimabit, qui quidem cum Socrate conſentientem audiverit virum, moribus & ingenio non tantum longe diverſum, ſed Socrati quoque inimiciſſimum, — ARISTOPH. in Equit. v. 40. ubi de Populo Athenienſi (quemadmodum poſt Ariſtophanem fecit Plato) locutus, tanquam de *domino difficili & iracundo:*

Λέγοιμ' ἂν ἤδη, νῷν γάρ ἐστι δεσπότης
Ἄγροικος ὀργὴν, κυαμοτρὼξ, ἀκράχολος,
Δῆμος Πυκνίτης, δύσκολον γερόντιον,
Ὑπόκωφον. ——

ta-

talem tamen *dominum* ait, quem callidus *servus* (Demagogus Cleon) *blandiendo*, *assentando*, *demulcendo*, *adulando* circumducere posset.

Ἤικαλλ', ἐθώπευ', ἐκολάκευ', ἐξάπατα.

Quod si cum Dione Chrysostomo, cujus locum adfert L. Kusterus, Orat. ad Alexandrinos XXXII. pag. 362. laudemus Athenienses, qui haec sibi durissimos jocos, quamcunque veros, in scenâ palam ingeri patiebantur, neque laesam propterea majestatem Reip. existimabant; si eâ in re (quod in Oratione dicebamus) *justissimos* etiam fuisse fateamur; haud minus tamen ex ipsis istis dicteriis constat, quam merito & ex veterum testimonio Aelianus V. H. Lib. II. Cap. 13. scripserit, „ naturâ suâ invidos fuisse Athenienses & ad obtrectandum optimo cui„ que pronos, neque tantum illis, qui in administrandâ Rep. illâ popu„ lari versabantur honoribusque summis fungebantur, sed magis etiam „ omnibus illis, qui sive sermonibus ad virtutem bonitatemque compo„ sitis, sive vitae decore atque gravitate, reliquis praestarent:" εἶτα δὲ καὶ φύσει φθονεροὺς ὄντας, καὶ τοῖς ἀρίστοις βασκαίνειν προαιρουμένους, οὐ μόνον τοῖς ἐν τῇ πολιτείᾳ, ἀλλ' ἔτι καὶ πλέον τοῖς εὐδοκιμοῦσιν, ἢ ἐν λόγοις ἀγαθοῖς, ἢ ἐν βίου σεμνότητι. Quae omnia bona malaque Populi Atheniensis si juncta inter se ac velut commixta consideremus, arbitror me in sermone meo Parrhasium, testem oculatum, sequi potuisse, qui, narrante Plinio Hist. Nat. Lib. XXXV. Cap. 10. Δῆμον *Atheniensium pinxit, argumento ingenioso: Volebat namque varium, iracundum, injustum, inconstantem: Eundem exorabilem, clementem, misericordem, excelsum, gloriosum, humilem, ferocem, fugacemque, & omnia pariter ostendere.* — Qui Athenienses a Platone dictos meminerit λάλους, a Scriptore Axiochi βιαίους φλυάρους, is forte existimabit, Plinium scripsisse *nugacemque*, non *fugacemque*, quamquam hoc in Platonico δειλοὺς habet, quo se tueatur. — Tandemque, si & ipsam multitudinem spectemus Atticam & formam Reip. quae ab ejusmodi moribus robur habebat atque incrementa, uti vicissim illa forma vires moribus dabat & efficacitatem, Maximum Tyrium haud valde vituperabimus scribentem Diss. XXII. Cap. 4. (pag. 267. ed. Davis.) Τρίτον δ' αὖ πολιτείας γένος, ἧς ὄνομα μὲν εὔφημον δημοκρατία, τὸ δὲ ἀληθὲς ὀχλοκρατία, κατὰ τὴν Ἀττικὴν, ἢ Συρακουσίαν, ἢ Μιλησίαν, ἤ τινα ἄλλην πλήθους ἰσχὺν, πολύφωνόν τε καὶ ἀκόλαστον καὶ παντοδαπόν. *Tertium* (in corpore scilicet humano) *formae civilis est species, cui speciosum quidem fecêre nomen Democratiam, quae*

ta-

tamen reverâ nihil aliud eſt niſi Ochlocratia, (ſumma infimae turbae poteſtas,) exemplo Reip. Atticae, aut Syracuſanae, aut Mileſiae, aut ſicubi eadem valuit potentia multitudinis clamoſae, protervae, inconſtantis, & variae.

Pag. 25. *Plerique Athenienſium, idoneus ait auctor* THUCYDIDES] Ipſum initium eſt Libri VI. in quo Libro infeliciſſima illa Expeditio Sicula deſcribitur. Τοῦ δὲ αὐτοῦ χειμῶνος Ἀθηναῖοι ἐβούλοντο αὖθις μείζονι παρασκευῇ τῆς μετὰ Λάχητος καὶ Εὐρυμέδοντος, ἐπὶ Σικελίαν πλεύσαντες, καταστρέψασθαι, εἰ δύναιντο· ἄπειροι οἱ πολλοὶ ὄντες τοῦ πλήθους καὶ Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων· καὶ ὅτι οὐ πολλῷ τινι ὑποδεέστερον πόλεμον ἀνῃροῦντο ἢ τὸν πρὸς Πελοποννησίους. — DIOD. SICULUS initio Libri XIII. in quo hanc quoque Expeditionem enarrat, cum Thucydide comparandus, miras ſpes refert, quibus erigebantur, aut potius ſe efferebant Athenienſes: "Divites pecuniam & opes in armandas triremes alacri „ animo erogabant; tenuiores nomina certatim dabant; omnes & ſinguli, „ cives, inquilini, hospites, ad iſtam militiam conſcribi properabant;" οὕτως ἅπαντες μεμετεωρισμένοι ταῖς ἐλπίσιν, ἐξ ἑτοίμου κατακληρουχεῖν ἤλπιζον τὴν Σικελίαν. *Ita cuncti ſpe elati facilem ſibi Siciliae ſorte diſtribuendae dividundaeque promittebant praedam.*

Ibid. in med. *Inexplebili in alios populos liberos dominandi cupidine perpetuo agitati Athenienſes* &c.] Quum univerſe nihil magis falſum ſit, nihil experientiae omnis aevi magis contrarium, quam quod nuper inter plura ſimilia ſcriptum meminimus, "duraturam magis, quin perpetuam „ fore pacem, ſi omnes gentes atque civitates formâ Reip. populari ute„ rentur;" multa quoque h. l. dici poſſent de ſtudio dominandi ac temerariâ bellandi cupidine, quibus Reſp. Attica, quo magis ad pleniſſimam inclinavit Democratiam, eo vehementius & inſanius agitata eſt: Sed pauciſſimis dicta noſtra confirmemus, aut ſolâ potius Oratione ISOCRATÉA *de Pace:* In quâ veterem Remp. cum recentiori Athenarum conditione componens, Orator, (pag. 167. ed. Steph.) "noſtri, inquit, Majores „ pro Graecis contra Perſas alioſque Aſiaticos adſiduo dimicarunt: Nos „ autem homines, qui in ipſâ Aſiâ armis victum quaeritabant, inde ar„ ceſſitos, mercede contra Graecos conduximus: Majores iterum noſtri „ Civitates Graecas in libertatem vindicantes, ſuoque illas reſtituentes „ auxilio, digni habiti ſunt, qui in Graeciâ principatum tenerent: Nos „ vero easdem illas civitates in ſervitutem redigentes, & plane diverſum „ a majoribus facientes, indignamur, quod idem nobis non habeatur „ ho-

„ honos." Οἱ μὲν γὰρ ὑπὲρ τῶν Ἑλλήνων τοῖς βαρβάροις πολεμοῦντες διετέλεσαν· ἡμεῖς δὲ, τοὺς ἐκ τῆς Ἀσίας τὸν βίον ποριζομένους, ἐκεῖθεν ἀναστήσαντες, ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας ἠγάγομεν. κἀκεῖνοι μὲν ἐλευθεροῦντες τὰς πόλεις τὰς Ἑλληνίδας, καὶ βοηθοῦντες αὐταῖς, τῆς ἡγεμονίας ἠξιώθησαν· ἡμεῖς δὲ καταδουλούμενοι, καὶ τἀναντία τοῖς τότε πράττοντες, ἀγανακτοῦμεν, εἰ μὴ τὴν αὐτὴν ἐκείνοις τιμὴν ἔχομεν: Illamque ſuae & ſuperioris aetatis amentiam dum perſequitur, " Reſpublica certe Majorum „ noſtrorum (inquit pag. 174.) tanto melior & praeſtantior fuit iſtâ, „ quae poſtmodum conſtituta eſt, quanto viri erant meliores Ariſtides, „ & Themiſtocles, & Miltiades, praeſtantioresque Hyperbolo & Cleo- „ phonte, & iis qui nunc ad Populum in concione quotidie verba fa- „ ciunt". Ac denique haec addit verba: " Quis tandem, ſuperiori, quae „ fuit, aetate, Patrum noſtrorum tulerit petulantiam, qui collectos ex uni- „ verſâ Graeciâ ignaviſſimos quosque, atque omni flagitiorum genere tur- „ pes, triremibus illos impoſuerunt ſuis, iſtoque facto totius Graeciae in „ ſe odia converterunt, quique, optimis ex aliis civitatibus ejectis civi- „ bus, horum bona inter improbiſſimos ac nequiſſimos Graecorum ſunt „ dilargiti? Verum, ſi iſtorum temporum facinora accuratius perſequi au- „ derem, forte id efficerem, ut vos reliquis de rebus rectius conſuleretis, „ ſed ipſe calumniam non effugerem: Soletis enim non tam odiſſe illos, „ qui talium delictorum ſunt auctores, quam eos qui hoſce accuſant: At- „ que, cum ita vos ſitis animati, vereor, ne, dum vobis bene facere „ coner, ipſe triſtius quid inde mihi conciliem." Τίς γὰρ ἂν ὑπέμεινε τὴν ἀσέλγειαν τῶν πατέρων τῶν ἡμετέρων; οἱ συνάγοντες τῆς Ἑλλάδος τοὺς ἀργοτάτους, καὶ τοὺς ἁπασῶν τῶν πονηριῶν μετέχοντας, πληροῦντες τούτων τὰς τριήρεις, ἀπηχθάνοντο τοῖς Ἕλλησι· καὶ τοὺς μὲν βελτίστους τῶν ἐν ταῖς ἄλλαις πόλεσιν ἐξέβαλλον, τοῖς δὲ πονηροτάτοις τῶν Ἑλλήνων τἀκείνων διένεμον; Ἀλλὰ γὰρ, εἰ τολμήσαιμι περὶ τῶν ἐν ἐκείνοις τοῖς χρόνοις γενομένων ἀκριβῶς διελθεῖν, ὑμᾶς μὲν ἴσως ἂν ποιήσαιμι βέλτιον βουλεύσασθαι περὶ τῶν ἄλλων, αὐτὸς δ᾽ ἂν διαβληθείην. Εἰώθατε γὰρ μισεῖν, οὐχ οὕτω τοὺς αἰτίους τῶν ἁμαρτημάτων, ὡς τοὺς κατηγοροῦντας αὐτῶν. Τοιαύτην οὖν ὑμῶν γνώμην ἐχόντων, δέδοικα μὴ πειρώμενος ὑμᾶς εὐεργετεῖν, αὐτὸς ἀπολαύσω τι φλαῦρον. —— Igitur, quum iſtud hominis Attici ſit teſtimonium, haud injuriâ Athenienſibus exprobrabant Corinthiorum legati, illos ἐλάχιστα ἀπολαύειν τῶν ὑπαρχόντων διὰ τὸ ἀεὶ κτᾶσθαι, apud Thucyd. Lib. I. Cap. 7. nec minus vere, quamvis vehementius & atrocius, Gylippus Laco πλεονεξίαν, ἐπιβουλὴν, ὑπερηφανίαν, apud Diod. Sic. Lib. XIII. Cap. 30. —— " Quodnam turpiſſimorum (inquit) fa- „ cinorum, quod illi conſiliis non agitaverint? quodnam crudeliſſimorum, „ quod ipſi non patraverint? At vero id cupiditatis iſtius, quae perpe-

 „ tuo

„ tuo plus habendi ardore inflammatur, proprium est, suis fortunis, „ quam prosperis, non esse contentum, sed ad longius remota nihilque „ ad se pertinentia desiderio ferri. Idque fecerunt Athenienses: Nam, „ quum felicissimi essent omnium Graecorum, hanc beatitatem suam, tan- „ quam onus aliquod gravius & intolerandum, abjicientes, Siciliam, tanto „ aequoris spatio disjunctam, forte inter se cupiverunt dividere, reda- „ ctis in servitutem, qui illam inhabitabant, civibus." Τί γὰρ τῶν αἰσχίστων οὐκ ἐβουλεύσαντο; τί δὲ τῶν δεινοτάτων οὐκ ἔπραξαν; πλεονεξίας ἴδιόν ἐστι τὸ, ταῖς ἰδίαις εὐτυχίαις οὐκ ἀρκούμενον, τῶν πόρρω κειμένων, καὶ μηδὲν προσηκόντων ἐπιθυμεῖν. οὗτοι ταῦτ' ἔπραξαν. εὐδαιμονέσατοι γὰρ ὄντες τῶν Ἑλλήνων, τὴν εὐτυχίαν, ὥσπερ τι βαρὺ φορτίον, οὐ φέροντες, τὴν πελάγει τηλικούτῳ διειργομένην Σικελίαν ἐπέθυμησαν κατακληρουχῆσαι, τοὺς ἐνοικοῦντας ἐξανδραποδισάμενοι. — De frequenti nimis, non hominum, sed civitatium etiam fato, μὴ φέρειν τὴν εὐτυχίαν, ἀλλ' ὥσπερ τι βαρὺ φορτίον ἀποβάλλειν (*Athenae quum florerent aequis legibus* &c.) plura ad illum Diodori locum PETRUS WESSELINGIUS.

Pag. 25. in f. *Mortuo avunculo, id desiderium magis magisque inflammabat Alcibiades, hinc sibi opes* &c.] Nemo facile, in Historiâ Graecâ vel leviter versatus, reperietur, qui non meminerit THUCYD. Lib. VI. Cap. 9. seqq. ubi Orationes Niciae atque Alcibiadis adversariae referuntur a summo Historico, cujus, inter alia, de Cliniae filio testimonium est, ὅτι μάλιστα στρατηγῆσαί τε ἐπιθύμει, ἐλπίζων Σικελίαν τε δι' αὐτοῦ καὶ Καρχηδόνα λήψεσθαι. καὶ τὰ ἴδια ἅμα εὐτυχήσας, χρήμασί τε καὶ δόξῃ ὠφελήσειν. Brevissime eadem DIOD. SIC. Lib. XII. in fine: Sed, quem potissimum secutus sum, (eximium profecto ducem,) & ipsis prope verbis expressi, PLUTARCHUS est in vitâ Alcibiadis Vol. II. pag. 22. ed. Bryan. (Tomo I. pag. 199. D.) in vitâ Niciae Vol. III. pag. 221. ed. Bryan. (Tomo I. pag. 531. B. seqq.)

Pag. 27. *Extra Athenas, si militiam exceperis, nunquam peregrinatus* &c.] In illâ Oratione, quam a Legibus patriis ad se habitam PLATONICUS fingit Socrates in Critone, (Tom. I. Opp. pag. 52. B.) haec dicentes facit: Μεγάλα ἡμῖν, ὦ Σώκρατες, τούτων τεκμήρια ἐστὶν, ὅτι σοι καὶ ἡμεῖς ἠρέσκομεν καὶ ἡ πόλις. οὐ γὰρ ἄν ποτε τῶν ἄλλων Ἀθηναίων διαφερόντως ἐν αὐτῇ ἐπεδήμεις, εἰ μή σοι διαφερόντως ἤρεσκε· καὶ οὔτ' ἐπὶ θεωρίαν πώποτε ἐκ τῆς πόλεως ἐξῆλθες, ὅτι μὴ ἅπαξ εἰς Ἰσθμὸν, οὔτε ἄλλοσε οὐδαμόσε, εἰ μή ποι στρατευσόμενος. οὔτε ἄλλην ἐποιήσω ἀποδημίαν πώποτε, ὥσπερ οἱ ἄλλοι ἄνθρωποι. οὐδ' ἐπιθυμία σε ἄλλης πόλεως οὐδ' ἄλλων νόμων ἔλαβεν εἰδέναι. ἀλλὰ ἡμεῖς σοι ἱκανοὶ ἦμεν, καὶ ἡ ἡμετέρα πόλις. —

λις. — *Te omnium maxime Patriae institutis acquievisse, insignia nobis sunt documenta, nosque tibi placere & universam civitatem. Non enim prae reliquis Atheniensibus in ipsâ hac urbe perpetuo fuisses commoratus, nisi eximie etiam illâ fuisses delectatus: Quin ne ad ludos quidem sacros solemnesque spectandos unquam ex urbe profectus es, nisi semel ad ludos Isthmicos, neque aliorsum unquam inde abiisti, nisi militatum: Neque unquam alio peregrinatus es, ut alii solent homines; neque te cupido cepit alterius civitatis visendae aliarumve Legum cognoscendarum: Sed nos tibi nostraque sufficiebamus Respublica.* —— Quae diserta Platonis verba satis refellere videntur scripta ab Ione Chio, de peregrinatione Socratis juvenis cum Archelao in Samum, apud DIOG. LAERTIUM Lib. II. §. 23. qui ipse, ex Critone, arbitror, §. 22. ἀποδημίας δὲ οὐκ ἐδεήθη, καθάπερ οἱ πλείους, πλὴν εἰ μὴ στρατεύεσθαι ἔδει.

Pag. 27. *Ipse autem Scopam Eurylochumque, homines ditissimos, — aspernatus est.*] Testis idem DIOG. LAERTIUS. Lib. II. §. 25. ὑπερεφρόνησε δὲ καὶ Ἀρχελάου τοῦ Μακεδόνος, καὶ Σκόπα τοῦ Κρανωνίου, καὶ Εὐρυλόχου τοῦ Λαρισσαίου, μήτε χρήματα προσέμενος αὐτῶν, μήτε παρ' αὐτοὺς ἀπελθών. Neque solus tamen testis Diogenes Laertius: Alia ad istum locum testimonia collegit AEG. MENAGIUS, omissâ tantum EPISTOLÂ, quae inter SOCRATICAS prima est, quamque ad Archelaum scriptam fingi recte (uti supra observabamus) censet LEO ALLATIUS; hic vero, res Socraticas cum curâ plerumque exponens, non neglexit utriusque Chrysostomi, quae & mihi notaveram, loca: DIONIS nimirum CHRYSOSTOMI Orat. XIII. pag. 227. C. ed. Morell. Καὶ Ἀρχέλαος Μακεδόνων βασιλεὺς πολλὰ εἰδώς, καὶ πολλοῖς συγγεγονὼς τῶν σοφῶν, ἐκάλει αὐτὸν (Σωκράτη) ἐπὶ δώροις καὶ μισθοῖς, ὅπως ἀκούοι αὐτοῦ διαλεγομένου τοὺς λόγους τούτους. Alterius CHRYSOSTOMI, JOANNIS, verba sunt in Orat. II. adversus Oppugnatorem vitae Monasticae Tom. I. pag. 65. D. ed. Montfauc. Τί δὲ ὁ τούτου (Πλάτωνος) διδάσκαλος Σωκράτης; πόσῳ Ἀρχελάου λαμπρότερος ἦν; καί τοι ὁ μὲν βασιλεὺς ἦν, καὶ ἐν πολλῷ πλούτῳ διῆγεν· ὁ δὲ ἐν Λυκείῳ διετέλεσεν· καὶ ἑνὸς ἱματίου πλέον εἶχεν οὐδὲν, καὶ τοῦτο μόνον καὶ χειμῶνος καὶ θέρους, καὶ ἐν πάσαις ταῖς ὥραις τοῦ ἔτους περιβεβλημένος ἐφαίνετο, ἀνυπόδετός τε ἔζη διὰ παντός. —— καὶ τοσοῦτον ἦν τοῦ βασιλέως λαμπρότερος, ὡς πολλάκις αὐτὸν καλοῦντος ἐκείνου παρ' ἑαυτὸν μὴ θελῆσαι τὸ Λύκειον ἀφεῖναι, καὶ πρὸς τὸν ἐκείνου πλοῦτον ἐλθεῖν. — *Quid autem Platonis praeceptor Socrates? Quam ille Archelao magnificentior? Et tamen Rex hic erat, & in magnis vitam agebat opibus: Ille vero in Lyceo plerumque versabatur, nec plus unâ habebat*

bebat veste, illamque eandem & hyeme & aestate, & in omnibus omnino anni tempestatibus, indutus prodibat in publicum, calceis per omnem vitam haud usus: — Atque sic tamen isto Rege erat lautior, ut, quum is ad se saepe vocaret, Lyceum suum dimittere noluerit & ad illius se conferre divitias. —— SENECA *de Benef.* Lib. V. Cap. 6. *Eadem re gloriari Socrates potuit, eadem Diogenes. — Archelaus Rex Socratem rogavit, ut ad se veniret. Dixisse Socrates traditur, nolle se ad eum venire, a quo acciperet beneficia, cum reddere illi paria non posset.* — Alter SENECAE; quem respexi, locus est *de Tranquillitate Animi* Cap. 3. (Tomo I. pag. 353. ed. Gronov.) cujus ad sequentia describendi erit occasio.

Pag. 28. *Quamvis infelicissimam crederet ejus conditionem, qui Remp. gerens ad libidinem hujus Populi viveret* &c.] Suavissimi, quem supra jam laudabam, Scriptoris verba sunt, Latine a me expressa, in Dialogo Axiocho sive de Morte Cap. 12. Τίς γὰρ ἂν εὐδαιμονήσειε πρὸς ὄχλον ζῶν, εἰ ποππυσθείη δήμου παίγνιον ἐκβαλλόμενον, συριττόμενον, ζημιούμενον, θνῆσκον, ἐλεούμενον. — De sequentibus mox latius agemus: Nunc animadvertemus tantum, Tib. Hemsterh. ad Lucian. T. I. pag. 48. jure ac merito lectionem praetulisse a Joanne Stobaeo servatam ἐκβαλλόμενον illi, quam dederunt J. Clericus & P. Horreus, ἐμβαλλόμενον, uterque in h. l. satis infeliciter versati. Ἐκβάλλεσθαι καὶ συρίττεσθαι, verba a scenâ desumta, *explosum & sibilis exceptum theatro ejici & pelli.*

Ibid. in med. " *Non mihi tam defensione opus est;*" *apud* PLATONEM *sic loquitur in Apologiâ*] Tomo I. pag. 30. D. Νῦν οὖν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πολλοῦ δέω ἐγὼ ὑπὲρ ἐμαυτοῦ ἀπολογεῖσθαι, ὥς τις ἂν οἴοιτο, ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν, μὴ ἐξαμάρτητε περὶ τὴν τοῦ θεοῦ δόσιν ὑμῖν, ἐμοῦ καταψηφισάμενοι· ἐὰν γάρ με ἀποκτείνητε, οὐ ῥᾳδίως ἄλλον τοιοῦτον εὑρήσετε (ἀτεχνῶς εἰ καὶ γελοιότερον εἰπεῖν) [sic ista sunt distinguenda] προσκείμενον τῇ πόλει ὑπὸ τοῦ θεοῦ, ὥσπερ ἵππῳ μεγάλῳ μὲν καὶ γενναίῳ, ὑπὸ μεγέθους δὲ νωθεστέρῳ, καὶ δεομένῳ ἐγείρεσθαι ὑπὸ μύωπός τινος· οἷον δή μοι δοκεῖ ὁ θεὸς ἐμὲ τῇ πόλει προστεθεικέναι τοιοῦτόν τινα, ὃς ὑμᾶς ἐγείρων καὶ πείθων, καὶ ὀνειδίζων ἕνα ἕκαστον, οὐδὲν παύομαι τὴν ἡμέραν ὅλην πανταχοῦ προσκαθίζων. ——

Pag. 29. *Inter cives vero Atticos, quos Socratis cura & providentia maxime complectebatur, juvenes erant* &c.] Quomodo id egerit, paucis XENOPHON Ἀπομν. Lib. I. Cap. 2. §. 2. ed. Zeun. (pag. 414. 31. ed. Steph.) ἔπαυσε μὲν πολλοὺς, ἀρετῆς ποιήσας ἐπιθυμεῖν, καὶ ἐλπίδας παρασχὼν, ἂν ἑαυ-

τῶν ἐπιμελεῖσθαι, καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς ἔσεσθαι· καίτοι γε οὐδὲ πώποτε ὑπέσχετο διδάσκαλος εἶναι τούτου. —— Egregie hanc rerum Socraticarum partem, (post ROLLINIUM Hist. Ant. Tom. IV. pag. 311.) ornavit BARTHELEMIUS Itin. Anach. Cap. 67. §. *Pénétré de cette doctrine, Socrate conçut le dessein* &c.

Ibid. *Quod vere de Socrate judicat* PLUTARCHUS, *quodque* SENECAE *iterum verbis explicare mihi fas sit.*] SENECAE locus est de Tranquill. Animi Cap. 3. pag. 348. ed. Gronov. —— PLUTARCHI, ad quem respicio, est in Libello, *an seni gerenda sit Respublica*, Tomo II. pag. 796. D. Σωκράτης γοῦν οὔτε βάθρα θεὶς, οὔτε εἰς θρόνον καθίσας, οὔτε ὥραν διατριβῆς ἢ περιπάτου τοῖς γνωρίμοις τεταγμένην φυλάττων, ἀλλὰ καὶ παίζων, ὅτε τύχοι, καὶ συμπίνων, καὶ συστρατευόμενος ἐνίοις καὶ συναγοράζων, τέλος δὲ καὶ συνδεδεμένος, καὶ πίνων τὸ φάρμακον, ἐφιλοσόφει, πρῶτος ἀποδείξας τὸν βίον ἅπαντι χρόνῳ καὶ μέρει καὶ πάθεσι καὶ πράγμασιν ἁπλῶς ἅπασι φιλοσοφίαν δεχόμενον. —— In quo loco equidem, memor dicti Xenophontéi, πληθούσης ἀγορᾶς ἐκεῖ φανερὸς ἦν, quid sit συναγοράζων intelligo, non item quid συνδεδεμένος. Crito certe, Critobulus, & reliqui, qui Socratem in carcere invisebant, amici ac familiares, non erant cum illo in vinculis. Igitur malim, καὶ διδεμένος καὶ πίνων τὸ φάρμακον.

Ibid. in f. *Quamquam fuerunt etiam, qui — vitiis — aut facinoribus postea evaserunt turpes.*] Vere CICERO *de Orat.* Lib. III. Cap. 34. *Quid Critias? quid Alcibiades? civitatibus quidem suis non boni, sed certe docti, atque eloquentes, nonne Socraticis erant disputationibus eruditi?* — Locum libentius adscripsi, ut vitio liberem: Uni eidemque *civitati non boni*, i. e. perniciosissimi, fuerunt & Critias & Alcibiades. Igitur pro *civitatibus*, legendum esse *civibus quidem suis non boni*, (quorum nimirum erant corruptores,) nemo, opinor, monitus negabit. AELIANUS Var. Hist. Lib. IV. Cap. 15. Τίς δὲ οὐκ ἂν νῦν ἔχων συνηύξατο καὶ Ἀλκιβιάδῃ νόσον, καὶ Κριτίᾳ, καὶ Παυσανίᾳ τῷ Λακεδαιμονίῳ καὶ ἄλλοις; Ἀλκιβιάδῃ μὲν, καὶ Κριτίᾳ, ἵνα μὴ ἀποδράντες Σωκράτους, ὁ μὲν ὑβριστὴς γένηται, καὶ ποτὲ μὲν Φιλολάκων, ποτὲ δὲ Βοιωτιάζῃ τὸν τρόπον, καὶ αὖ πάλιν Θετταλίζῃ, καὶ τοῖς Μήδων καὶ Περσῶν ἀρέσκηται, ἐν Φαρναβάζου γενόμενος; Τυραννικώτατος δὲ καὶ φονικώτατος ὁ Κριτίας γενόμενος, καὶ τὴν πατρίδα ἐλύπησε πολλὰ, καὶ αὐτὸς μισούμενος τὸν βίον κατέστρεψε. *Quis, ut per morbum ad sanitatem mentis rediret, non optasset Alcibiadi? quis non Critiae? quis non Pausaniae Spartano, aliisque? Alcibiadi praesertim & Critiae, ne, transfugae a disciplinâ Socraticâ, ille insolens vitâ ac moribus lasciviret, jam Lacedaemonis fautor, jam Boeotorum consuetudinem, jam Thes-*

Theſſalorum ſectatus, quin Medorum etiam Perſarumque mollitie, dum apud Pharnabazum verſaretur, ſibi placens. In civitate autem liberâ impotentiſſime & crudeliſſime graſſatus Critias & Patriam vehementer vexavit, & ipſe omnium odiis obnoxius periit. Quod ibi AEliano ἀποδρᾶναι, id XENOPH. Mem. Lib. I. Cap. 2. in eodem argumento eſt ἀποπηδᾶν Σωκράτους. —— Sed de Alcibiade & Critiâ, quorum improbitatem ipſa improbitas optimo Praeceptori objecit, mox amplius erit agendum.

Pag. 30. " *Praeclare, judice* CICERONE, *hanc viam ad gloriam* ,, *proximam & quaſi compendiariam Socrates eſſe dicebat* &c."] *De Off.* Lib. II. Cap. 12. reſpiciens ad XENOPHONTÉA 'Απομν. Lib. I. Cap. 7. §. 1. (pag. 426. 20. ed. Steph.) ἀεὶ γὰρ ἔλεγεν, ὡς οὐκ εἴη καλλίων ὁδὸς ἐπ' εὐδοξίαν, ἢ δι' ἧς ἄν τις ἀγαθὸς τοῦτο γένοιτο, ὃ καὶ δοκεῖν βούλοιτο. Quam ſaepe AEſchyléum illud de Amphiarao, Deorum reverenti, Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει, Socrates expreſſerit, atque Socratici, Xenophon & Plato, egregie ad d. l. ERNESTIUS demonſtravit.

Ibid. *In illâ, quam pro Praeceptore ſcripſit* PLATO, *Apologiâ*] Verba reperiuntur Tomo I. pag. 32. A. ed. Steph. 'Ακούσατε δή μοι τὰ ξυμβεβηκότα, ἵνα εἰδῆτε ὅτι οὐδ' ἂν ἑνὶ ὑπείκοιμι παρὰ τὸ δέον, δείσας θάνατον· μὴ ὑπείκων δὲ, ἅμα καὶ ἅμ' ἂν ἀπολοίμην. ἐρῶ δὲ ὑμῖν φορτικὰ μὲν καὶ δικανικὰ, ἀληθῆ δέ. ἐγὼ γὰρ, ὦ ἄνδρες 'Αθηναῖοι, ἄλλην μὲν ἀρχὴν οὐδεμίαν πώποτε ἦρξα ἐν τῇ πόλει, ἐβούλευσα δέ. Καὶ ἔτυχεν ἡμῶν ἡ φυλὴ 'Αντιοχὶς πρυτανεύουσα, ὅτε ὑμεῖς τοὺς δέκα στρατηγοὺς, τοὺς οὐκ ἀνελομένους τοὺς ἐκ τῆς ναυμαχίας, ἐβουλεύσασθε ἀθρόους κρίνειν, παρανόμως, ὡς ἐν τῷ ὑστέρῳ χρόνῳ πᾶσιν ὑμῖν ἔδοξε. τότ' ἐγὼ μόνος τῶν πρυτανέων ἠναντιώθην ὑμῖν μηδὲν ποιεῖν παρὰ τοὺς νόμους, καὶ ἐναντία ἐψηφισάμην· καὶ ἑτοίμων ὄντων ἐνδεικνύναι με καὶ ὑπάγειν τῶν ῥητόρων, καὶ ὑμῶν κελευόντων καὶ βοώντων, μετὰ τοῦ νόμου καὶ τοῦ δικαίου ᾤμην μᾶλλον με δεῖν διακινδυνεύειν, ἢ μεθ' ὑμῶν γενέσθαι μὴ δίκαια βουλευομένων, φοβηθέντα δεσμὸν ἢ θάνατον. —— *Jam a me, quid mihi acciderit, audiatis, ut intelligatis, me mortis metu nemini quidquam, ultra id quod honeſtum eſt, conceſſurum, quin & non cedentem de vitâ ſimul eodemque tempore fuiſſe periclitatum: Narrabo autem vobis vulgaria quidem atque ad res forenſes pertinentia, vera tamen: Namque ego, o! Athenienſes, nunquam quidem ſummo aliquo in civitate functus ſum munere, ſed in Quingentorum Senatum fui adlectus: Ac forte evênit, ut Tribus noſtra Antiochis ſuâ Prytaniarum vice primum in Senatu ac Concione locum occuparet tum, quando vos de decem Ducibus, qui naufragos poſt pugnam na-*

navalem undis non extraxerant, unâ rogatione decernere consilia agitabatis contra Leges, ut deinceps omnibus vobis visum est. Tunc ego inter Prytanes solus vobis sum adversatus, ut nihil praeter Leges facerem, & contra id, quod postulabatis, suffragia collegi atque pronunciavi: Cumque Demagogi me propterea reum deferre atque in carcerem rapere essent parati, vosque sic juberetis atque vociferaremini, ego existimavi praestare, ut cum Legibus atque eo, quod fas esset, istud periculum perseveranter sustinerem, quam a vestris starem partibus prava consilia agitantium, metu scilicet perculsum vinculorum aut mortis. ——

Pag. 32. in f. *Solus fere inter cives intrepidus perseverare Euryptolemus; solus inter Prytanes Proedrosque immotus perstare Socrates.*] Disertis verbis factum narrantis, Socratis verba ex PLATONIS *Apologiâ* modo descripsimus: Nec minus diserte XENOPHON rem refert in *Memorabilibus* gemino loco: Prior est Lib. I. Cap. 1. §. 18. (pag. 414. 12. ed. Steph.) Βουλεύσας γάρ ποτε, καὶ τὸν βουλευτικὸν ὅρκον ὀμόσας, ἐν ᾧ ἦν κατὰ τοὺς νόμους βουλεύσειν, ἐπιστάτης ἐν τῷ δήμῳ γενόμενος, ἐπιθυμήσαντος τοῦ δήμου παρὰ τοὺς νόμους ἐννέα στρατηγοὺς μιᾷ ψήφῳ τοὺς ἀμφὶ Θράσυλον καὶ Ἐρασινίδην ἀποκτεῖναι πάντας, οὐκ ἠθέλησεν ἐπιψηφίσαι, ὀργιζομένου μὲν αὐτῷ τοῦ δήμου, πολλῶν δὲ καὶ δυνατῶν ἀπειλούντων· ἀλλὰ περὶ πλείονος ἐποιήσατο εὐορκεῖν, ἢ χαρίσασθαι τῷ δήμῳ παρὰ τὸ δίκαιον, καὶ φυλάξασθαι τοὺς ἀπειλοῦντας. — Alter locus est Ἀπομν. Lib. IV. Cap. 4. §. 2. (pag. 468. ed. Steph.) Καί ποτε ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐπιστάτης γενόμενος οὐκ ἐπέτρεψε τῷ δήμῳ παρὰ τοὺς νόμους ψηφίσασθαι, ἀλλὰ σὺν τοῖς νόμοις ἠναντιώθη τοιαύτῃ ὁρμῇ τοῦ δήμου, ἣν οὐκ ἂν οἶμαι ἄλλον οὐδένα ἄνθρωπον ὑπομεῖναι. Tertius etiam Socratis discipulus, AEschines, tam luculentum constantiae Socraticae documentum ad posteros certe propagavit; neque tamen, tanquam ab illo scriptus, adferendus videtur locus ex Dialogo, quem sub *Axiochi* nomine legimus Cap. 12. egregius sanequam, sed corruptus, & de quo cum plura dicenda sint, ipsa ejus verba apponere differimus, donec amplius de illo agamus, aliis interim citatis testibus, quamvis recentioribus. DIOG. LAERT. Lib. II. §. 24. Ἦν δὲ καὶ ἰσχυρογνώμων καὶ δημοκρατικὸς, ὡς δῆλον ἔκ τε τοῦ μὴ εἶξαι τοῖς περὶ Κριτίαν, — ἀλλὰ καὶ μόνος ἀποψηφίσασθαι τῶν δέκα στρατηγῶν. —— AEL. Var. Hist. Lib. III. Cap. 17. καὶ διὰ ταῦτα οὔτ' ἐπεψήφισεν Ἀθηναίοις τὸν τῶν δέκα στρατηγῶν θάνατον, ut vere, perspecto discrimine quod est inter ἐπιψηφίζειν & ψηφίσασθαι, locum emendavit TIB. HEMSTERH. ad Luciani Tom. I pag. 158. a. THEMISTIUS Or. XX. pag. 239. A. Τούτων δὲ ἁπάντων παραδείγματα ἀπέφαινε Σωκράτην τὸν Ἀθηναῖον, ὃς οὔτε οἴκοι ὑπὸ Ξανθίππης

λοιδορούμενος, οὔτε ὑπὸ Κριτίου, καὶ τῶν τριάκοντα τυράννων ἀπειλούντων, εἰ μὴ μεταθήσοιτο καὶ θεραπεύσοι τὴν καθεστῶσαν πολιτείαν, ἀποκτενεῖν τε καὶ ἐξελαύνειν, καὶ αἰκίστα ἐργάσεσθαι, ὅμως οὐκ ἔδεισέ ποτε, οὐδὲ ἐξεπλάγη, οὐδὲ κίνδυνον ἄλλον ἐνόμισεν οὕτω δεινόν τε καὶ φοβερὸν, ὡς τὸ κακὸν ἀντ' ἀγαθοῦ γενέσθαι, καὶ δυσσεβῆ ἀντ' εὐσεβοῦς. Διὰ τοῦτο οὔτε Λέοντα ἤγαγε τὸν Σαλαμίνιον, οὔτε ἐπιψηφίσαι κατεβιάσθη κατὰ τῶν ἀμφὶ Περικλέα, καὶ Ἐρασινίδην, καὶ Διομέδοντα στρατηγῶν· καίτοι οὕτω γε ὁ δῆμος αὐτὸς ἐπεκελεύετο, βοῶντες ἄνωθεν ἐκ τῆς ἐκκλησίας. — *Horum omnium exempla proponebat Socratem Athenienſem, qui, neque cum domi a Xanthippe probris inceſſeretur, neque minantibus Critiâ caeterisque triginta Tyrannis, niſi in ſuas transiret partes, praeſentemque Reip. ſtatum laudaret coleretque, ſe illum occiſuros aut pulſuros in exilium, aut extremis eſſe malis affecturos, nec timuit unquam nec metu perculſus eſt, neque aliud quodpiam periculum adeo exiſtimavit terribile & reformidandum, ut propterea pro viro bono homo nequam, pro pio impius evaderet. Idcirco nec Leonta abduxit Salaminium, neque cogi ſe paſſus eſt per vim, ut Populum in ſuffragia mitteret ad ſententiam contra Periclem, Eraſinidem. Diomedonta, caeterosque Duces eorum ſocios, ferendam, quamvis ſic iterato juberet Populus, ex ſuperioribus concionis ſubſelliis* (ad Socratem reliquosque Proedros infra in primis ſubſelliis ſedentes) *inclamante multitudine:* — Ex quâ interpretatione Latinâ facile quis animadvertat, me locum leviter emendandum cenſere, ut pro ὡς τὸ κακὸν legatur ὥστε κακὸν ἀντ' ἀγαθοῦ, uti mox δυσσεβῆ ἀντ' εὐσεβοῦς. —— Porro animadvertendum, quum in iſto Themiſtii loco, ut & apud Diogenem Laertium, rerum geſtarum ordo ſit inverſus, fraudi id fuiſſe LEONI ALLATIO ad Epiſt. Socr. pag. 167. — Eodem pertinet lacinia, quae eſt apud SUIDAM in v. κατεχειροτόνησαν. — Ὁ δὲ οὔτε ἐψηφίζετο, οὔτε κατεχειροτόνει, καίπερ ἐπιστάτης ὤν· Et alia apud eundem ſub v. ἐπιτακτοὶ male relata, Σωκράτης δὲ ἦν ἐπιστάτης, καὶ οὔτε ἐψήφιζε, οὔτε κατεχειροτόνει, in quo fragmento vel ex priori corrigendum eſt καὶ οὔτε ἐψηφίζετο, vel (ut Hemſterhuſius in AEliano emendabat,) καὶ οὔτε ἐπεψήφιζεν. — Ex Latinis rem retulit VALERIUS MAXIMUS Lib. III. Cap. 8. Ex. ext. 3. in illâ quidem narrandâ (ut jure obſervat JANUS RUTGERSIUS, Var. Lect. Lib. VI. Cap. 16.) ridicule tumidus: *Socratis autem virilitatis robore palliatus animus* (ſic loquitur) *aliquanto praefractius perſeverantiae exemplum edidit. Univerſa civitas Athenienſium, iniquiſſimo ac truculentiſſimo errore inſtincta, de capite decem Praetorum, qui apud Arginuſas Lacedaemoniam claſſem deleverant, triſtem ſententiam tulerat. Forte tunc ejus poteſtatis Socrates, cujus arbitrio plebiſcita ordinarentur, indignum judi-*

judicans tot & tam bene meritos ex indignâ caussâ impetu invidiae abripi, temeritati multitudinis constantiam suam objecit, maximoque concionis fragore & incitatissimis minis compulsus non est, ut se publicae dementiae auctorem adscriberet. Quae oppositu ejus legitimâ grassari viâ prohibita, injusto Praetorum cruore manus suas contaminare perseveravit. Nec timuit Socrates, ne consternatae Patriae undecimus furor mors ipsius existeret. —— Quae postrema, quam levi cum curâ Historiam lectitaverit aut sua inde exempla depromserit Valerius, manifesto produnt. Vorstii ad illum locum errorem novis erroribus cumulavit Torrenius. —— Factum sanequam notissimum est, tum ex locis quos supra adscripsimus, tum praesertim ex XENOPHONTIS Hellenicis Lib. I. pag. 262. 36. ed. Steph. quam Hellenicorum partem merito inter *Eclogas suas Historicas* nuper retulit Cl. DANIEL WYTTENBACH. Merito etiam ille, de *Socrate Epistatâ* agens, animadvertit, *ita diserte appellari a Xenophonte in Memorabilibus; idque tenendum, nec mero aliorum locorum silentio repudiandum.* Adsentio pariter scribenti, " totum hunc Historiae locum vehe-„ menter adversari eorum sententiae, qui Proedros Concionis Praesides a „ Prytanibus Senatus Praesidibus diversos esse volunt." Seu dicere malimus (quia ista sententia vera esse potest, salvis iis quae a Xenophonte scripta reperiuntur,) — seu, inquam, potius dicamus, illum locum evertere sententiam eorum, qui jus mittendi populum in suffragia semper & perpetuo fuisse existimant apud Epistatam & octo Proedros, qui ex novem Tribubus Prytaniam non obeuntibus ad unam illam concionem legebantur, non penes Epistatam atque novem Proedros, qui, ex Prytanibus ducti, per septenos dies Senatui Quingentorum praeerant, ipsique Populo in concionem convocato praesidebant. Rem, quam duo Itali, de *Rebus Atticis* egregie promeriti, EDUARDUS CORSINUS & CLEMENS BIAGIUS, non multis abhinc annis primi docuerunt, ut certam & indubitatam, haud levibus tamen difficultatibus dubiisque implicitam, nos, probabilem conjecturam secuti, paulo dilucidiorem reddidisse forte videbimur, si opinionem nostram, quam brevissime expositam, eo, quem *Lectionibus* nostris *Atticis* praescripsimus, modo, speciminis instar, hoc loco confirmemus.



DISQUISITIO *de* EPISTATIS *ac* PROEDRIS ATHENIENSIUM *&* *de* SOCRATE EPISTATÂ.

§. I. Brevitati idcirco ſtudentes, neceſſaria tantum delibabimus ex illis, quae certa ſunt ſatisque cognita, quaeque poſt Ubbonem Emmium, Sigonium, atque Potterum, haud multis abhinc annis latius explicuerunt EDUARDUS CORSINUS *Faſt. Att.* Diſſ. VI. Tomo I. pag. 260. CLEMENS BIAGIUS CREMONENSIS *de Decretis Athenienſium* Capp. II. & XIII. Notum eſt, a Solone, quum Remp. Atticam ordinaret, conſtitutum eſſe Senatum *Quadringentorum Civium*, ex unaquâque Tribuum, quae quatuor tunc erant, centenorum; poſt inſtauratam a Cliſthene temperatamque formam popularem, atque Civitate ad decem Tribus auctâ, *Quingentorum Civium*, qui ex ſingulis Tribubus quinquageni forte legebantur: Notum porro, unamquamque Tribum, per decimam anni partem, 35. adeo aut 36. dies, illo ordine, quem ſors ab initio anni definiverat, primum locum occupaſſe, ſic ut quinquageni ex illâ Senatores & Senatui & Concioni praeſiderent, & (niſi res majoris momenti ad univerſum Senatum referenda videretur) cunctis Reip. negotiis, qualia quotidie obveniebant, praeeſſent; hos quinquaginta Senatores dictos Πρυτάνεις, ipſam Tribum πρυτανεύουσαν: Notum denique, quinquagenos hoſce Prytanes in quinque Decurias fuiſſe diſtributos, quarum Decuriarum unaquaeque per ſeptem dies *Prytaniae* eſſent capita, & a primâ, quem in Senatu atque Comitiis tenebant, ſede Πρόεδροι appellarentur; ex his tandem decem *Proedris*, qui omnes ad eandem Tribum πρυτανεύουσαν pertinebant, itidem forte ductum fuiſſe unum, qui, ſub Ἐπιστάτου nomine, non tantum *Quingentorum* ſed univerſae omnino Reip. per unum diem, per νυχθήμερον, ſeu 24. horas, eſſet Princeps; ita ut ex denis Proedris ſepteni per hebdomada, ex quinquagenis Prytanibus 35. vel 36. per Prytaniam, ſummo eſſent in civitate loco, iisque juribus atque honoribus fruerentur, quos hîc ſingulatim recenſere nihil attinet. —— Atque, haec uti pleniſſime ab omnibus *Rerum Atticarum* Scriptoribus comprobantur, ita haud minus perſpectum eſt atque indubitatum, praeter hoſce *decem Proedros* & hunc ex iis ductum *Epiſtatam*, qui omnes ex *Prytanum*, atque adeo etiam ex *Senatorum* erant numero, quoſque Corſinus atque Biagius vocant *Contribules*, (Φυλέτας,) quia omnes ad eandem Tribum πρυτανεύουσαν pertinebant, — praeter hos *Epiſtatam* & *Proedros*, alios inſuper fuiſſe *novem* Proedros, atque ex his *novenis* alium lectum *Epiſtatam*, qui, dum Senatus

tus Populusque in conventum coirent, munus ſuum auſpicabantur, dimiſſâ concione ponebant, ad conditionem privatam ſtatim redeuntes: Omninoque adſentior CORSINO ſcribenti (Diſſ. VI. §. 4.) " Itaque in
„ hac hypotheſi, quae mihi omnium veroſimillima videri ſolet, duplex
„ *Proedrorum* ac *Epiſtatarum* genus admitti debet; ut nimirum decem
„ Proedri *Contribules* haberentur, ex quibus Prytaniae Epiſtata ſeligere-
„ tur; alii vero novem *non-Contribules* eſſe debuerint, ex quibus alius
„ Epiſtata eligeretur: Priores illi Proedri diebus continuis ſeptem hoc
„ munere fungerentur, ipſorumque quilibet unicâ ſolum die Epiſtata vo-
„ caretur; poſteriores alii Proedri, ipſorumque Epiſtata, eo ſolum temporis
„ ſpatio id muneris ac honoris obtinerent, quo Populi concio perageretur."

§. II. Nihil omnino eſt in hiſce Corſini dictis, quod non veriſſimum videatur; ſed longe abeſt, ut eundem addamus calculum ſententiae, quam vir praeclarus proponit de quaeſtione, quaenam horum Proedrorum, qui ex novem Tribubus, Prytaniâ non fungentibus, legebantur, atque Epiſtatae ex illis Novem-viris ducti, tum univerſe, tum praeſertim in Concione Populi Attici, fuerint partes: Quae ſententia quandoquidem iis innititur argumentis, quae plus etiam probent quam Corſinus probare voluerit, hinc factum, ut Biagius, eandem viam ſecutus, ducis ſui errorem novo errore cumulaverit. Exiſtimat ſcilicet Corſinus, τὸ ἐπιψηφίζειν ἐν τῷ δήμῳ, ſive *Populum in ſuffragia mittere*, pertinuiſſe ad Epiſtatam, qui ex novenis Proedris *non-Contribulibus* legebatur. " Jam nullus dubitandi
„ locus ſupererit (inquit d. Diſſ. VI. §. 14.) quin ἐπιστατεῖν, Epiſtatae
„ munere fungi, ἐπιψηφίζειν ἐν τῇ βουλῇ, *ſuffragia in Senatu perrogare*, ad
„ Prytanum ſive *Contribulium* (decem) Proedrorum Principem, hoc eſt
„ ad Prytaniae Epiſtatam, ſpectaverit; ſed ἐπιψηφίζειν ἐν τῷ δήμῳ, *Popu-*
„ *lum in ſuffragia mittere*, ad ſolum Epiſtatam illum referri debeat, qui
„ ex Proedris aliis (novenis) *non Contribulibus* eligebatur. Quo plane
„ fieri potuiſſe, riteque inde inferri poſſe videtur, ut res *in Senatu* qui-
„ dem gerendas proponere, Senatores ipſos in ſuffragia mittere, ad *Con-*
„ *tribules* Proedros ſpectaſſe debuerit; res vero *in Populo* ſive Concione
„ gerendas curare, Senatus Decretum ſeu Praeconſultum ad Populum re-
„ ferre, Populum ipſum interrogare, ſuffragii jus ipſi concedere, ſuffragia
„ recenſere, poſteriores alii Proedri *non-Contribules* conſueverint." At vero addit Corſinus: " Ingenue tamen fatendum eſt, aliqua Veterum
„ teſtimonia & exempla quoque ſubinde occurrere, quae diſcrimen illud

„ facile perturbent, ut in Ulpiani aliorumque teſtimoniis apparet, quae „ ſuperius exhibui." Quibus in verbis viri cordati haud minus quam docti candorem agnoſco, niſi quod *aliqua* dicat *Veterum teſtimonia:* Immo vero *omnia*, uno Harpocrationis loco excepto, quem depravatum ipſe intellexit Corſinus; — *omnia*, inquam, *Veterum teſtimonia*, non Grammaticorum tantum, ſed Hiſtoricorum, ſed Philoſophorum, ſed Oratorum, qui florenti Rep. Atticâ vixerunt, & in mediis vitam egerunt negotiis, — Thucydidis, Xenophontis, Platonis, utriusque AEſchinis, (ſi Aeſchini Socratico Axiochus ſit tribuendus,) Demoſthenis. —— Et tamen fallaci praeſertim argumento, quod ex addito Demo nomini Epiſtatae vel Scribae ducit Corſinus, innifus, illique plus tribuens quam univerſae Antiquitati, Clemens Biagius eas quoque partes, quas Epiſtatae Proedrisque Prytanum reliquerat ſaltem Corſinus, illis ſuo adimit ſuffragio, ut nempe *in Senatu* proponendi, referendi, ſententias colligendi functi fuerint munere; iſtasque etiam partes liberaliter confert in Epiſtatam & Proedros novenos *non-Contribules*, ſic ut *Prytanes*, quorum apud Scriptores Atticos ſunt omnia & in Senatu & in Concione officia, jam plane ſint nihil, vanaeque obambulent umbrae; Epiſtates autem & Proedri *non-Prytanes*, de quibus vix ulla niſi apud Grammaticos mentio reperiatur, jam agant cuncta, & tam apud *Quingentos* quam in *Comitiis Populi* proponant, referant, renuncient. —— Suo *Muſei Nanii* Pſephiſmate, in quo explicando verſatur, & neſcio quo alio fretus Pſephiſmate apud Flavium Josephum, (de quo ſimilibusque ſuſpectae fidei Judaïcae Pſephiſmatibus & de Krebsio forte alias erit dicendum,) — ejusmodi igitur argumentis uſus Biagius (*de Decretis Athenienſium* Cap. XIII. §. 16.) colligit, " Proedros *non-* „ *Contribules* conſueviſſe proponere tum *in Concione*, tum etiam *in Se-* „ *natu*, res gerendas, atque tam Senatum quam Populum in ſuffragia mi- „ ſiſſe." — Ergo Remp. ipſe ſuam ignoravit vir in Rep. primarius Nicias, in nobili illâ prudentiaeque pleniſſimâ Oratione, qua cives, ad inſanam Expeditionem Siculam inſane ruentes, revocare conatus, (apud Thucyd. Lib. VI. Cap. 14.) dum Epiſtaten, qui concioni praeerat, graviter adloquitur: Καὶ σὺ, ὦ Πρύτανι (inquit) ταῦτα, (εἴπερ ἡγῇ σοι προσήκειν κήδεσθαί τε τῆς πόλεως, καὶ βούλει γενέσθαι πολίτης ἀγαθὸς) ἐπιψήφιζε, καὶ γνώμας προτίθει αὖθις Ἀθηναίοις· — manifeſto indicio Πρύτανιν fuiſſe, atque adeo ex Tribu πρυτανευούσῃ, numeroque Proedrorum *Contribulium*, Epiſtaten illum, qui iſtis Comitiis Atticis, ut Senatûs Populique Princeps, praeſidebat. — Ergo Socrates Socratisque amici ac diſcipuli Xenophon & Plato, quid in Pa-

triâ

triâ suâ juris esset ac moris, nesciverunt, cum Jusjurandum Senatorium ipsi dixerunt obstare, ne, dum Epistatam ageret, Legem de Judiciis popularibus violaret. — Sed ista pluraque testimonia mox recitabimus, postquam rem ipsam, secundum veteres Grammaticos, qui nobis hac in parte Archaeologiae soli supersunt duces, paulo dilucidius exposuerimus, conjecturam nostram probabilem (nam ultra id, quod probabile est, hic progredi non licet,) deinceps addituri.

§. III. Triplex nobis hoc in argumento Grammaticorum superest auctoritas: Prima & praecipua est LIBANII, alteriusque, quisquis fuerit, quibus geminam Ὑπόθεσιν debemus Orationis Demosthenéae contra Androtionem: Secunda est veteris SCHOLIASTAE ad Aristoph. Thesmophor. v. 380. Tertia denique TELEPHII PERGAMENI, cujus verba refert EUSTATHIUS ad Hom. Od. P. v. 455. pag. 1827. ed. Rom. (p. 641. 45. ed. Bas.) Atque hoc Telephi Fragmentum quum fundus sit & fons praecipuus, unde recentiorum Grammaticorum expositiones prope omnes manarunt, illud integrum huc referre haud abs re videatur. Προσενθυμητέον δὲ καὶ Τηλέφου τοῦ ὡς ἱστορεῖται Περγαμηνοῦ, ὅτι, κατὰ τὴν ἐκείνου παράδοσιν, νομική τις ἦν λέξις ἢ τεχνικὴ ἐν τοῖς μεθ' Ὅμηρον ὁ Ἐπιστάτης· γίνεται γάρ φησιν Ἐπιστάτης Ἀθήνησιν ἐκ τῶν Πρυτανέων εἷς· ὃς ἐπιστατεῖ νύκτα καὶ ἡμέραν μίαν, καὶ πλείω χρόνον οὐκ ἔξεστιν οὐδὲ δὶς τὸν αὐτὸν γενέσθαι· τάς τε κλεῖς, ἐν αἷς τὰ χρήματά εἰσι, φυλάττει, καὶ τὰ γράμματα τῆς πόλεως, καὶ τὴν δημοσίαν σφραγῖδα· κληροῖ δὲ καὶ Προέδρους ἐξ ἑκάστης φυλῆς ἕνα, πλὴν τῆς πρυτανευούσης· καὶ πάλιν ἐκ τούτων Ἐπιστάτην ἕνα. καὶ τοιαῦτα μὲν ταῦτα. Comparentur jam cum istis Eustathianis quae SUIDAS habet in v. Ἐπιστάτης & cum scriptis a POLLUCE Onom. Lib. VIII. Cap. 9. §. 96. Apparebit, utrumque sua mutuatum esse ab eodem Telepho, in Grammaticis Praeceptore Imperatoris Lucii Veri, eoque viro, cui in rebus Atticis tanto major fides habenda est, quod singularem operam in cognoscendâ antiquâ Rep. Atticâ posuisset, scriptis Commentariis περὶ τῶν Ἀθήνησι δικαστηρίων καὶ περὶ τῶν Ἀθήνησι νόμων καὶ ἐθῶν. Vid. SUIDAM v. Τήλεφος. — POLLUCIS d. l. haec sunt verba: Ὁ δὲ Ἐπιστάτης καλούμενος ἐστὶν εἷς τῶν Πρυτανέων, ὁ κλήρῳ λαχών· δὶς δὲ οὐκ ἔξεστι γενέσθαι τὸν αὐτὸν Ἐπιστάτην· ἔχει δὲ οὗτος τὰς κλεῖς τῶν ἱερῶν, ἐν οἷς τὰ χρήματα καὶ τὰ γράμματα· καὶ ὅταν οἱ Πρυτάνεις τὸν δῆμον ἢ τὴν βουλὴν συνάγωσιν, οὗτος ἐξ ἑκάστης φυλῆς Πρόεδρον ἕνα κληροῖ, μόνην τὴν πρυτανεύουσαν ἀφιείς. Ex hoc Pollucis & Eustathii loco suppleantur pauca apud Suidam; & summam eorum habebimus, quae de utroque Epistatâ apud Grammaticos reperiantur: Quae partim cum HENRICO VALESIO in

in Notis ad Harpocr. pag. 72. (ed. Gron.) apud SUIDAM ſupplenda videantur, ea parentheſi concludemus: Τῶν Πρυτανέων εἷς ὁ λαχὼν Ἐπιστάτης ἐλέγετο· δὶς δὲ τὸν αὐτὸν ἐπιστατῆσαι οὐκ ἐξῆν· Φυλάσσει δὲ τοῦ ἱεροῦ τὰς κλεῖς, ἐν ᾧ τὰ δημόσια χρήματα. ἔτι μὴν [τὰ γράμματα τῆς πόλεως] καὶ τὴν δημοσίαν σφραγῖδα. ἐπειδὰν δὲ οἱ Πρυτάνεις συναγάγωσι τὴν βουλὴν, ἢ τὸν δῆμον, ὁ Ἐπιστάτης κληροῖ Προέδρους ἐννέα ἀπὸ [φυλῆς ἑκάστης ἕνα, πλὴν τῆς πρυτανευούσης· καὶ πάλιν ἐκ τῶν ἐννέα τούτων Ἐπιστάτην ἕνα κληροῖ, καὶ τὸ πρᾶγμα παραδίδωσιν. αὐτὸς δὲ εἰσάγει τὴν δίκην, καὶ ἐπιμελεῖται τοῦ κατὰ νόμον πάντα γίνεσθαι, καὶ μηδὲν παραλειφθῆναι πρὸς τὸ διδαχθῆναι τοὺς δικαστάς. — Hinc corrigendus quoque ETYM. MAGNUS v. Ἐπιστάτης, qui Euſtathium alicsve Grammaticos (ut ſaepe ſolet) non deſcripſit aut contraxit, ſed miſere mutilos nobis tradidit & decurtatos. Ἐπιστάται (inquit) δύο ἦσαν Ἀθήνησιν· ὧν ὁ μὲν ἐκ Πρυτανέων ἐκληροῦτο· ὁ δὲ ἐκ Προέδρων· φυλάσσει δὲ τοῦ ἱεροῦ τὰς κλεῖς, ἐν ᾧ τὰ δημόσια χρήματα· ἔτι μὴν καὶ τὴν δημοσφραγίδα (leg. τὴν δημοσίαν σφραγῖδα.) λέγεται καὶ ὁ ἐφεστηκὼς εἰς πρᾶγμα ὁτιοῦν ῥηματικῶς· —— Tandemque poſt alia, in fine Gloſſae: Ὅτι τῶν φ' οἱ μὲν ν', Πρυτάνεις· οἱ δὲ δέκα Πρόεδροι· ὁ δὲ (ſic leg.) εἷς Ἐπιστάτης. Quae contracta etiam magis in aliâ Notâ exſtant apud SUIDAM: Ἐπιστάτης· δύο ἦσαν Ἀθήνησιν· ὧν ὁ μὲν ἐκ Πρυτανέων ἐκληροῦτο· ὁ δὲ ἐκ τῶν Προέδρων· ἐλέγετο δὲ καὶ ὁ ἐν τοῖς κοινοῖς ἐφεστηκὼς πράγματι ᾡτινιοῦν. — Poſtrema, uti & ultima pars eorum quae Etymologus habet, conflata ſunt ex Harpocrationis Lexico: HARPOCRATION autem, ſolus inter Grammaticos, uti plerumque, alium a Telepho ducem ſecutus eſt, ipſum videlicet ARISTOTELIS *Commentarium de Republicâ Atticâ.* Ἐπιστάτης, (inquit) Ἰσαῖος ἐν τῷ κατ' Ἑλπαγόρου καὶ Δημοφάνους· δύο εἰσὶν οἱ καθιστάμενοι ἐπιστάται, ὁ μὲν ἐκ Πρυτανέων κληρούμενος· ὁ δὲ, ἐκ τῶν Προέδρων· ὧν ἑκάτερος τινα διοίκησιν διοικεῖ· δεδήλωκεν ὁ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ. ἐλέγετο δ' ἐν τοῖς κοινοῖς καὶ ὁ ἐφεστηκὼς πράγματι ὁτῳοῦν, ὡς Ὑπερείδης τε ἐν τῷ κατὰ Δημοσθένους, καὶ Αἰσχίνης ἐν τῷ κατὰ Κτησιφῶντος, φανερὸν ποιοῦσιν. — Uti autem, quamcunque moleſta ac taedii plena, utiliſſima tamen opera reperitur, quae conjungendis comparandisque his Grammaticis & Lexicographis impenditur, quia nimirum ſolebant vel ex iisdem haurire fontibus, vel etiam ſe invicem deſcribere, demtis nonnullis aut contractis, aliis itidem adjectis, quae aliunde deſumebant; — ita & hic haud importunum accidet, notam adjungere, quam in *Lexici Rhetorici Pariſienſis* Apographo invénimus. Ἐπιστάτης (ibi eſt) ἄρχων ἐπὶ τῆς βουλῆς κληρωτῶν· ὁ ἐφεστὼς τοῖς ὑπὸ πάντων βουλευτῶν πραττομένοις· εἷς μὲν ἐκ τῶν Πρυτανέων κληρούμενος, ἕτερος δὲ ἐκ τῶν δέκα Προέδρων, ὧν ἑκάτερος διοίκησιν τινὰ διῴκει. —— Eundem, qui & Harpocrationi fuit, huic Lexicographo auctorem agnoſci-

ſcimus, qui Ariſtotelem *de Republicâ Atticâ* ob oculos habuit: Sed primum pro κληρωτᾶν legendum eſſe κληρωτὸς per ſe patet; idque leve vitium eſt: Alterum majus, quod vocem δέκα nimis ſedulus addiderit vel ipſe Lexicographus, vel Codicis illius ſcriptor Librarius. Verum, dum ſapere ſibi viſus eſt, *decem* Proedros e Prytanibus, de quibus quidpiam inaudiverat, male confudit cum *novenis* Proedris non-Prytanibus, Epiſtatamque priorum cum illo, qui ex novenis hiſce legebatur. Ergo facile illius notâ careremus, niſi unus id haberet, quod aliorum nemo, quodque Biagii ſententiam plane evertit, Epiſtatam nempe e Prytanibus totius Senatus fuiſſe Principem, ὁ ἐφεστὼς τοῖς ὑπὸ πάντων βουλευτῶν πραττομένοις.

§. IV. Et vero, quod modo dicebamus, ſolitos fuiſſe Grammaticos Lexicorumque Auctores Graecos, quae pleniora alibi repererant, contracta, quin potius decurtata, cumque aliis aliunde hauſtis iterum permixta, nobis tradere; — hic mos atque haec perverſa ratio, dici vix poteſt, quantas univerſae Antiquitati Graecae tenebras offuderit, quamque ſaepe illius Antiquitatis interpreti ſtomachum faciant & faſtidium creënt. Talia, quale memorabam, vitia *Lexicon* iſtud *Rhetoricum* tractanti mihi frequenter occurrunt in oculos. Gravius memorabo ipſius HARPOCRATIONIS, quod in hoc argumento de *Proedris Atticis* miras dedit turbas, viriſque primariis, SIGONIO praeſertim, ita fuit fraudi, ut nubem pro Junone plane ſit amplexus; DODWELLUS autem ea commentus ſit, quae nemo intelligat, aut, ſi etiam intelligat, a Viro rerum Atticarum peritiſſimo ſcripta fuiſſe vix credat. Haec HARPOCRATION, atque ex eo SUIDAS, in v. Πρόεδροι. — Πρόεδροι, ἐκληροῦντο τῶν Πρυτανέων καθ' ἑκάστην πρυτανείαν εἷς ἐξ ἑκάστης φυλῆς, πλὴν τῆς πρυτανευούσης, οἵτινες τὰ περὶ τὴν ἐκκλησίαν διῴκουν. ἐκαλοῦντο δὲ Πρόεδροι, ἐπειδήπερ προήδρευον τῶν ἄλλων ἁπάντων. [πολλάκις δ' ἐστι τοὔνομα παρὰ τοῖς ῥήτορσιν, ὡς καὶ παρὰ Δημοσθένει ἐν τῷ κατ' Ἀνδροτίωνος, καὶ Αἰσχίνῃ ἐν τῷ κατὰ Κτησιφῶντος.] ὅτι δ' ὁ καλούμενος Ἐπιστάτης κληροῖ αὐτοὺς, εἴρηκεν Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ. — Quae parentheſeos notâ a reliquis diſtinguuntur, illa omittere Suidae fuit viſum, prorſus eadem caeterum habenti, eosdemque adeo errores propaganti: Nam qui non alia tantum Grammaticorum loca, quae ſupra deſcripſimus, ſed Argumenta praeſertim Orationis Demoſthenéae contra Androtionem cum iſtâ Harpocrationis in v. Πρόεδροι Gloſſâ contulerit, is facile animadvertat, omiſſam ibi omnino eſſe omnem mentionem decem Proedrorum, qui in quinquaginta Prytanum erant numero, quaſi ſoli Proedri fuiſſent *non-Prytanes*, qui in Comitiis

Atticis primum tenerent locum, neque ullae ibi *Prytanum* forent partes, & quasi illi Proedri *non-Prytanes* aut *non-Contribules* singulis Prytaniis fuissent lecti, quod tamen est falsissimum. Illaque quum adversâ fronte pugnare videret cum iis, quae a Libanio, Ulpiano, caeterisque traduntur, SIGONIUS de Rep. Athen. Lib. II. Cap. 3. *Harpocrationem se libentius sequi* profitetur: DODWELLUS vero de Cyclis Diss. III. Sect. 45. talia fingit, in quibus refellendis versari operae non est pretium, quia universae Antiquitatis testimonio satis refutantur. Solus CORSINUS, pro eo, quo erat, acumine, Harpocrationi diffidit: Quum autem duae sint viae, quibus depravatus ejus locus ad normam veri corrigi atque inflecti possit, unam Vir ingeniosus ingressus est, quae & mihi olim placuerat, conferendis atque comparandis inter se Lexicographis aliisque Grammaticis edocto, quanta cum iis agendi in re ejusmodi nobis esse debeat libertas; cum illis, inquam, qui antiquiorum Archaeologorum aut Grammaticorum scripta miserrimum in modum, nullo saepius judicio, mutilaverunt atque in partes minores, quin minima etiam frusta, dissecuerunt, ipsi suâ iterum vice contracti & decurtati a recentioribus, fastidiosae isti brevitati studentibus, quae nobis pro Trogis Pompejis Justinos peperit, pro Liviis Flori Epitomas, pro Dionibus Cassiis Xiphilinos, pro Stephanis Byzantinis Hermolaos, pro plenioribus utilioribusque Lexicis macilentas Glossas & turpiter foedatas veteris eruditionis lacinias. Igitur, quamlibet violenta crisis esse videatur, vel supplenda sunt in Harpocratione, quae ad *Proedros e Prytanibus* ductos spectantia exciderunt, vel locus ita corrigendus, ut quae de solis *Proedris non-Prytanibus* scripserit, aut scribere voluerit; sine vitio legantur & sine errore. Priorem medicinam proposuit Corsinus, (Diss. VI. §. 7.) corrigens: Πρόεδροι ἐκληροῦντο, οἱ μὲν τῶν Πρυτανέων καθ' ἑκάστην πρυτανείαν, οἱ δὲ εἷς ἐξ ἑκάστης φυλῆς. —— At vero, quum illa ratio mihi antea magis placuisset, nunc propemodum in eam inclinarem sententiam, ut, de novenis *Proedris non-Prytanibus* solis egisse Harpocrationem arbitratus, corrigam: Πρόεδροι ἐκληροῦντο ὑπὸ τῶν Πρυτανέων καθ' ἑκάστην ἐκκλησίαν, εἷς ἐξ ἑκάστης φυλῆς, πλὴν τῆς πρυτανευούσης, οἵτινες τὰ περὶ τὴν ἐκκλησίαν διώκουν. ἐκαλοῦντο δὲ Πρόεδροι κ. τ. λ. —— Auctorem emendationis habeo *Lexicon Rhetoricum* MS. in quo ista reperiuntur: Πρόεδροι καὶ προεδρεύειν τί ἐστιν; οἱ περὶ τὰς ἐκκλησίας Ἀθήνησι διοικοῦντες, Πρόεδροι ἐκαλοῦντο· κληρούμενοι μὲν ὑπὸ τῶν Πρυτανέων καθ' ἑκάστην ἐκκλησίαν ἐξ ἑκάστης φυλῆς· ὠνομάσθησαν δὲ οὕτως, ἀπὸ τοῦ προεδρείαν ἔχειν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις. — Quae ex eodem fonte manasse, ex quo sua hausit Harpocration, manifestum est.

§. V.

§. V. His de duplici Epiſtatâ, ac duplici Proedrorum numero, déno novenoque, cognitis, quantum quidem inſtituti noſtri jam fert ratio, videamus, an Epiſtatae Proedrorumque, qui e Prytanibus erant, partes in concione Populi EDUARDUS CORSINUS recte retulerit ad alterum Epiſtatam Proedrosque Novem-viros; an recte illa etiam, quae in rogationibus relationibusque ad Senatum Quingentorum praeſtanda erant, officia iisdem Novem-viris tribuerit CLEMENS BIAGIUS? Atque haec quidem poſtrema ſententia τοῦ παραδόξου tam vicina eſt, tam univerſae rationi Reip. Atticae contraria, tam adverſa teſtimoniis ipſorum etiam Grammaticorum, ut in illâ confutandâ non multum operae ponendum videatur. Πρύτανις. Τὸ δέκατον μέρος τῆς βουλῆς τῶν πεντακοσίων· πεντήκοντα ἄνδρες ἀπὸ μιᾶς φυλῆς, οἱ διοικοῦντες ἅπαντα τὰ ὑπὸ τῆς βουλῆς πραττόμενα, Πρυτάνεις ἐκαλοῦντο. ἐπρυτάνευον δὲ ἐκ διαδοχῆς ἀλλήλων αἱ δέκα φυλαὶ κληρολαχοῦσαι κατὰ ἐνιαυτόν. SUIDAE ſunt verba v. πρύτανις, ex quibus ETYM. M. in eâdem v. facile corrigatur. — Igitur Prytanum fuit, Proedrorumque & Epiſtatae e Prytanibus, *Quingentos* moderari, iis Conſulta proponere, & de univerſâ Rep. ad eos referre, διοικεῖν ἅπαντα τὰ ὑπὸ τῆς βουλῆς πραττόμενα. — Sed quis unquam praeter Biagium de re certiſſimâ dubitavit? — Quare autem dubitavit? propter idem argumentum, quo Corſinus praecipue uſus eſt ad convellendam Epiſtatae & Proedrorum, e Prytanibus ductorum, in concione Populi moderandâ auctoritatem. Nimirum ex addito Demi nomine Corſinus Biagiusque ita ſunt argumentati, quaſi neceſſe eſſet, ut vel Epiſtates, vel Proedrus, vel Scriba ex illâ eſſet Tribu, ad quam Demus pertineret, unde diceretur: Et fatendum eſt, id ſaepius accidiſſe, quia & ſaepe accidebat, ut Civis (cum Juriſconſultis loqui fas ſit) *Forum originis* idem haberet ac *Forum domicilii*, ſive ut in eodem Demo commoraretur perpetuo, in cujus Album a Patre fuerat relatus: Socrates e. gr. cum in Albo Demi Alopecarum eſſet inſcriptus, qui Demus ad Tribum Antiochida pertinebat, a Platone diſcimus, Tribum Antiochida reverâ fuiſſe πρυτανεύουσαν, quum Socrates, in Senatum Quingentorum allectus, Epiſtatae munere in Concione Populi fungeretur: Sed hoc perpetuum fuiſſe, an conſtat? an probarunt Corſinus ac Biagius? Et probandum fuerat, ut unico hoc argumento univerſae Antiquitatis fides, non labefactaretur, verum plane concideret & periret. Equidem nihil adfirmo: Sed, quomodo ſolvendus ille ſit nodus de adjecto nomine Demi, ex quo Magiſtratus fuerit, Senatus Concionisve Praeſes, quique tamen Demus ad Tribum tum temporis primariam (quantum novimus) non pertinuerit, — quomodo igitur ſolvendus ſit ille nodus, mihi non liquere,

N 2 in-

genue fassus, dubitationem tantum proponam meam, an adeo certum sit, neminem unquam in Ληξιαρχικὸν alterius Demi nomen transtulisse suum, atque ita, aetate provectiorem, in aliam Tribum, mutato forte domicilio, commigrasse, praeter illam, cujus appellatione a patre fuisset designatus, quum is filium inter Φράτορας adscribi primum curaret. Cognitum quippe est, geminam fuisse Athenis *Librorum Curialium* seu *Tabularum publicarum*, in quas Cives referebantur, speciem; alterum φρατορικὸν γραμματεῖον vel κοινὸν γραμματεῖον, in quem Tribulium Codicem Phratriae & Gentes adscribebantur; alterum ληξιαρχικὸν γραμματεῖον, in quo nomina singulorum Civium, qui in unoquoque Demo censebantur, adnotari solebant: Jam autem, quemadmodum in prius istud Album puerorum nomina, dum in infantiâ etiam essent, referri curabat pater naturalis aut adoptivus, adjuncto suo & Demi nomine, ita verosimile est, ista nomina Civi per totam vitam haesisse: Sed enim, quum ληξιαρχικῷ inscriberentur jam adulti & rerum suarum domini, mihi quidem non constat, illos tunc nomina sua non potuisse profiteri in alio Demo, quam cujus popularibus a patre, dum pueri forent, fuissent oblati. — Quidquid sit, tanti mihi quidem ista non est difficultas, ut fidem propterea abrogem, non Libanio tantum, non illi qui Ulpianus dicitur, non Suidae, — sed Demostheni, sed AEschini Oratori, sed Platoni, sed Xenophonti, & (verbo dicam) universae Antiquitati. Nonnulla illius Antiquitatis testimonia jam recitemus.

§. VI. Inter mala, quae postremâ aetate Remp. Atticam pessum dederunt, neglectus fuit veterum Legum atque institutorum, quibus immodestia Oratorum furoresque Demagogorum coërcebantur: Nunquam autem licentia ista vehementius grassata est, quam cum nobilissimorum Oratorum par, nimis (ut ita dicam) bene compositum, Forum & Cives in factionum partes scinderet: Sed, ut nulli frequentius quam ipsi Gracchi de seditione queri solent, sic & saepe uterque istum, cujus ipsi auctores erant, εὐκοσμίας contemtum reprehendit & velut deplorat. Τῆς δὲ τῶν ῥητόρων ἀκοσμίας οὐκ ἔτι κρατεῖν δύνανται οὔθ' οἱ νόμοι, οὔθ' οἱ Πρυτάνεις, οὔθ' οἱ Πρόεδροι, οὔθ' ἡ προεδρεύουσα φυλὴ, τὸ δέκατον μέρος τῆς πόλεως. Verba sunt AESCHINIS in Orat. c. Ctesiph. pag. 54. 15. ed. Steph. quibus iisdem fere usus est adversarius DEMOSTHENES in Orat. I. contra Aristogit. versus finem, pag. 424. 124. loco insigni, quem LONGINUS π. ϒ. Sect. 23. in f. imitatus diligentiam haud effugit Virorum in Literis nobilium, TOUPII & RUHNKENII. Καὶ ἃ τῶν ἄλλων τῶν ἠτυχηκότων ἕκαστος ἀψοφητὶ ποιεῖ, ταῦθ' οὗτος μονονοὺ

χὼ-

κάθωνας ἐξαψάμενος διαπράτῆεται· ὁ Πρύτανις, ὁ Κήρυξ, ἐκ Ἐπιστάτης, ἐχ ἡ προεδρεύουσα φυλὴ τέτε κρατεῖν δύναται. Quicunque vero noverit aut gnarus meminerit, haud raro Oratores generi ſpeciem ſolitos ſubjungere, lubens agnoſcet Πρόεδρες in utroque loco non minus inter Πρυτάνεις eſſe cenſendos, quam ipſi Πρυτάνεις in Tribu προεδρευέσα ſeu πρυτανευέσα cenſeantur; quae ſola συνωνυμία verborum προεδρεύειν & πρυτανεύειν, quando de Tribu primum locum occupante ſermo eſt, demonſtrat, Προέδρες atque inter illos Ἐπιστάτην non alios eſſe niſi Decemviros e Prytanibus lectos: Neque adeo in illam incidet opinionem, iſtos Προέδρες a *Prytanibus* eſſe diverſos, *Novem-viros* videlicet, qui ab Epiſtatâ Senatûs ad unam Concionem forte legebantur: Quod ſi vel levis ipſi ſuboriretur ſuſpicio ejusmodi, ſtatim eum retraherent praecedentia AEſchinis verba, pag. 54. 9. ταῦτα ἕτεροί τινες τὰ ψηφίσματα ἐπιψηφίζεσιν, ἐκ ἐκ τε δικαιοτάτε τρόπε λαχόντες προεδρεύειν, ἀλλ' ἐκ παρασκευῆς καθεζόμενοι· ἂν δέ τις τ ἄλλων βελευτῶν ὄντως λάχῃ κληρέμενος προεδρεύειν, καὶ τὰς ὑμετέρας χειροτονίας ὀρθῶς ἀναγορεύῃ κ. τ. λ. —— Quae perſpicue probant, Proedros iſtos fuiſſe *Senatores*, ductos itaque e Tribu προεδρευέσα vel πρυτανευέσα, idcirco e numero Prytanum, ipſosque Πρυτάνεις. Atque haec quidem obſervatio prorſus evertit argumentum, quod Corſinus jure ſibi ducere viſus eſt tum ex aliis locis, ubi Πρύτανις & Ἐπιστάτης vel Πρόεδρος disjunctim memorantur, quaſi prior eſſet Prytaniae Epiſtata, alter Epiſtata Concionis e Novem-viris lectus; tum praeſertim ex verbis Orationis DEMOSTHENEAE contra Timocratem pag. 445. 31. ed. Paris. (pag. 373. ed. Tayl.) Locus claſſicus eſt, in quo Orator legitimam eamque prudentiſſimam deſcribit formam, quâ de mutandis antiquis Legibus cum Populo agebatur. Ἐὰν δέ τινες τ νόμων τ κειμένων (inquit) ἀποχειροτονηθῶσι, τὲς Πρυτάνεις, ἐφ' ὧν ἂν ἡ ἐπιχειροτονία γένηται, ποιεῖν περὶ τ ἀποχειροτονηθέντων τὴν τελευταίαν τ τριῶν ἐκκλησιῶν. τὲς δὲ Προέδρες, οἳ ἂν τύχωσι προεδρεύοντες ἐν ταύτῃ τῇ ἐκκλησίᾳ, χρηματίζειν ἐπάναγκες. πρῶτον μετὰ τὰ ἱερὰ περὶ τ νομοθετῶν κ. τ. λ. Enarratisque porro, quae ad Populum proponi deberent, ἐὰν δὲ οἱ Πρυτάνεις μὴ ποιῶσι κατὰ τὰ γεγραμμένα τὴν ἐκκλησίαν, ἢ οἱ Πρόεδροι μὴ χρηματίσωσι κατὰ τὰ γεγραμμένα, ὀφείλειν τ μὲν Πρυτανέων ἕκαστον, χιλίας δραχμὰς ἱερὰς τῇ Ἀθηνᾷ. τ δὲ Προέδρων ἕκαστος ὀφειλέτω τετταράκοντα δραχμὰς ἱερὰς τῇ Ἀθηνᾷ. Exiſtimat Corſinus Proedros ibi a Prytanibus diverſos memorari, " quod alioquin Proedri, ſimulque Prytanes, duplici poenae obnoxii fuiſſent." At vero quid vetat, duplici poenae obnoxios fuiſſe, qui duplici ratione peccaſſent contra Legem? Omnium 50. Prytanum erat, Populum de mutandâ Lege in concionem congregare: Decem Proedrorum erat, ex quinqua-

quaginta hiſce per ſortem ductorum, cum Populo, in Comitiis jam congregato, agere, ad eum referre, illumque de Senatus-Conſulto, quod Quingenti eâ de re feciſſent, edocere: Prytanes igitur, officio neglecto, ſemel, Proedri bis peccabant, bis etiam mulctabantur, prius mille, dein quadraginta Drachmis. Quin fieri poterat, ut Proedri, tanquam Prytanes, partibus ſuis bene functi, mox, ratione muneris ſui Decem-viralis, Legem violarent, poenamque quadraginta tantum Drachmarum penderent. Immo modica haec quadraginta Drachmarum ſumma ſtatuta fuiſſe videtur, ratione mulctae longe majoris mille Drachmarum, quae a Prytanibus, non convocato Populo, jam fuerat ſolvenda. Quippe longe gravius erat delictum ἐκκλησίαν μὴ ποιεῖν, quam μὴ χρηματίζειν. —— Sed operae pretium fuerit breviter demonſtraſſe, quid fuerit χρηματίζειν, quid προβουλεύειν, quid λόγον προτιθέναι, quid ἐπερέσθαι vel ἐπερωτᾷν τὸν δῆμον, quid ἐπιχειροτονίαν vel διαχειροτονίαν δοῦναι, quid tandem τὸν ψῆφον δοῦναι, & ἐπιψηφίζειν vel γνώμας ἐπιψηφίζειν. —— Corſinus haec omnia pro ſynonymis habet, quamquam ipſa, quae adfert loca, diſcrimen inter illa ſatis oſtendunt, ſibi eâ iterum parte haud minus contrarius, quam quando iſta omnia officia in fine §. 10. refert ad Epiſtatam Novem-virum, qui tamen ipſe §. 9. ſcripſerat pluribusque teſtimoniis probaverat, " Proedrorum *Contribulium* " Principem ſive Prytaniae Epiſtatam ἐπιψηφίζειν conſueviſſe." Dum de iſtis Fori Attici formulis loquendi agimus, has omnes muneris partes ad Epiſtatam Proedrosque e Prytanibus pertinuiſſe manifeſto patebit.

§. VII. De illis itaque Epiſtatae Proedrorumque officiis acturi, neceſſe eſt, ut in memoriam revocemus ſimilitudinem, quae, ut in multis Juris Romanorum Publici partibus, ſic etiam hac in parte illi erat cum Jure Publico Reip. Atticae. Namque, uti Senatus Romanus ſine Conſulto ſuo cum Populo agi non poſſe adfirmabat, pariter ex ſapienti Solonis inſtituto (de quo mox iterum erit dicendum) in Concione Atticâ, cum ordine res agebantur, nihil ad Populum proponi poterat, niſi Senatus Quingentorum in eam ſententiam Conſultum condidiſſet, quod προβούλευμα dicebatur. Προβούλευμα, inquit HARPOCRATION in v. τὸ ὑπὸ τῆς βουλῆς ψηφισθὲν, πρὶν εἰς τὸν δῆμον εἰσενεχθῆναι. Sed luculentius LEXICON RHETORICUM MS. Προβούλευμα (leg. προβουλεύειν.) τὸ τὴν βουλὴν τῶν Πεντακοσίων πρότερον κρίνειν τὸ ψήφισμα, εἰ καλῶς ἔχει. καὶ οὕτως εἰσφέρεσθαι εἰς τὸν δῆμον. καὶ τοῦτο καλεῖται προβούλευμα· τὸ δὲ προβούλευμα κύριον ἦν ἄχρι ἐνιαυτοῦ, μεθ' ὃ ἄκυρον ἐγίνετο· † Προβουλεύματα τίνα ἐστιν; τὰ τῆς βουλῆς ψηφίσματα, ἃ προβουλεύει τοῦ δήμου. ——

Igi-

Igitur, poſtquam Senatus-Conſultum ita conditum eſſet, ad Populum illud erat proponendum, neque tantum proponendum, ſed ratio quoque illius reddenda, ut tanto melius cives cauſſam cognoſcerent. Id dicebatur εἰπεῖν γνώμην (τῆς βουλῆς,) nomenque illius, qui Senatûs ſententiam *dicendo* expoſuerat atque confirmaverat, Pſephismati, haud minus quam nomen Epiſtatae, adſcribebatur. (Vid. BIAGIUM de Decretis Atheniensium Cap. XIII. §. 10.) Ipſum SCtum, poſt deducta argumenta, recitare, — hoc erat προβουλεύειν, univerſum autem negotium referendi ad Populum χρηματίζειν. Iſta vero tria officia Proedrorum fuiſſe, ex Prytanibus ductorum, vel ſolae probant DEMOSTHENIS atque AESCHINIS Orationes. Ne quae ſupra jam ex Oratione illius contra Timocratem deſcripſimus, hic repetamus, en alium locum ex Orat. de Coronâ pag. 168. §. 304. τῇ δ' ὑστεραίᾳ ἅμα τῇ ἡμέρᾳ, οἱ μὲν Πρυτάνεις τὴν βουλὴν ἐκάλουν εἰς τὸ βουλευτήριον· ὑμεῖς δ' εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἐπορεύεσθε· καὶ πρὶν ἐκείνην (τὴν βουλὴν) χρηματίσαι καὶ προβουλεῦσαι, πᾶς ὁ δῆμος ἄνω καθῆτο· καὶ μετὰ ταῦτα ὡς εἰσῆλθεν ἡ βουλή, καὶ ἀπήγγειλαν οἱ Πρυτάνεις τὰ προσηγγελμένα ἑαυτοῖς, καὶ τὸν ἥκοντα παρήγαγον, κἀκεῖνος εἶπεν, ἠρώτα μὲν ὁ κήρυξ, τίς ἀγορεύειν βούλεται; — Idem in Orat. c. Midiam pag. 320. §. 15. Legem recitat: Τοὺς Πρυτάνεις ποιεῖν ἐκκλησίαν ἐν Διονύσου τῇ ὑστεραίᾳ ἐν Παιδίοις. ἐν δὲ ταύτῃ χρηματίζειν πρῶτον μὲν περὶ ἱερῶν. — Mox ait: ἐν δὲ ταύτῃ ἐκκλησίᾳ ἐπειδὰν χρηματίσωσιν οἱ Πρόεδροι περὶ ὧν διῴκηκεν ὁ Ἄρχων, χρηματίζειν κελεύει, καὶ περὶ ὧν ἄν τις ἠδικηκὼς ἢ περὶ τὴν ἑορτήν, ἢ παρανενομηκώς. Ex quibus ipſius Demoſthenis verbis, quum diſerte Πρυτάνεις memoret, patet vere ſcripſiſſe ULPIANUM ad iſtum locum: Πρόεδροι ἐκαλοῦντο οἱ πεμπόμενοι ἐν τῇ βουλῇ παρὰ τῆς πρυτανευούσης φυλῆς· οὗτοι δὲ πάλιν ἐπέμποντο παρὰ τῆς βουλῆς εἰς τὸν δῆμον· εἰ δοκεῖ αὐτοῖς ἐπισκέψασθαι περὶ τοῦ κατὰ τὴν ἑορτήν· οἱ δὲ, ἦρον τὰς χεῖρας: Neque mirari ſatis poſſum Corſinum (Diſſ. VI. §. 10.) ſcribentem, " Ulpianum ſibi videri utrumque Proedrorum genus ibi temere fortaſſe confudiſſe." Ergo confudit & Demoſthenes. — In notiſſimo quoque loco ARISTOPH. Thesmoph. v. 384. Senatûs muliebris Conſultum eſt:

> Ἐκκλησίαν ποιεῖν ἕωθεν, ——
> Καὶ χρηματίζειν πρῶτα περὶ Εὐριπίδου,
> Ὅ, τί χρὴ παθεῖν ἐκεῖνον. ——

Quod ſi muliebrium Senatorum decretum eſt, oportet, ut οἱ χρηματίζουσαι ex eodem fuerint ordine, non ex univerſo Populo. — Pariter POLLUX Onom. Lib. VIII. Cap. 9. §. 95. οἱ Πρυτάνεις, οὗτοι τὴν βουλὴν συνάγουσιν ὁσημέραι,

μέραι, πλὴν ἂν ἄφετός τις ᾖ· τὸν δὲ δῆμον τετράκις ἑκάστης πρυτανείας· καὶ προγράφουσι προτέρας βουλῆς (istam lectionem, in quam Codd. MSS. consentiunt, male ab Interpretibus mutatam, hic demonstrandi non est locus,) καὶ περὶ τῆς ἐκκλησίας, ὑπὲρ ὧν δεῖ χρηματίζειν. —— Conf. DUKERUM ad Thucyd. Lib. V. Cap. 61. — Postquam de rationibus Senatûs ejusque Consulto ab uno e Prytanibus, προεδρίαν tenente, esset relatum, Epistates, suo caeterorumque Collegarum Proedrorum nomine, λόγον προὐτίθει, id est, cuicunque volenti, secundum Leges, dicendi copiam faciebat, solemni formulâ, quam, illius jussu, pronunciabat Praeco, τίς ἀγορεύειν βούλεται; Namque, id cum fieret ex auctoritate Senatûs, cujus vices gerebat Epistates cum Proedris, ille dicebatur λόγον προτιθέναι, cui phrasi suppares sunt aliae, προθεῖναι λέγειν vel γνώμην ἀποφήνασθαι· Γνώμας προτιθέναι THUCYD. dixit Lib. VI. Cap. 14. eaeque phrases diversae sunt ab aliâ προθεῖναι ἐκκλησίαν, quae idem valet ac προγράφειν ἐκκλησίαν, nempe Concionem Populi Programmate convocare, illumque eodem Edicto (vid. POLLUCIS locum supra laudatum) de re ad deliberandum proponendâ edocere, uti satis patet ex iis, quae egregie scripsit summus HEMSTERH. ad Lucian. Necyom. Cap. 19. Tomo I. Opp. pag. 492. — Hoc λόγον προτιθέναι saepe unâ fiebat concione, διαχειροτονία vel ἐπιψήφισις alterâ, quando Oratoribus verba faciendi amplius non erat potestas, ut apparet ex AESCHINIS Orat. π. τ. παραπ. pag. 36. 25. ed. Steph. ubi Psephisma, auctore Demosthene, factum refertur, ἐν ᾧ φαίνεται γεγραφὼς, τῇ μὲν προτέρᾳ τῶν ἐκκλησιῶν συμβουλεύειν τὸν βουλόμενον, τῇ δ᾽ ὑστεραίᾳ τοὺς Προέδρους ἐπιψηφίζειν τὰς γνώμας, λόγον δὲ μὴ προτιθέναι. Ac secundum id Psephisma mox ait, λόγων γὰρ μὴ προτεθέντων εἰς τὴν ὑστέραν ἐκκλησίαν, τῶν δὲ Προέδρων κωλυόντων, οὐκ ἐνῆν εἰπεῖν. Mox auditis, qui de SCto aliquid Populo suadere vellent aut dissuadere; quid hic censeret, rogabat, Proedrorum Prytanumque nomine, qui primus eorum illo erat die Epistates: Atque hoc erat ἐπερέσθαι vel ἐπερωτᾷν τὸν δῆμον, ἐπερέσθαι τὴν γνώμην· Cumque tandem nemo Civium vetaret, ne, deliberatione ad finem perductâ, Concio in suffragia mitteretur, hujus quoque rei cum caeteris Proedris copiam faciebat Prytanum primus sive Epistata, & Psephismati inde orituro auctoritatem praestabat: Idque erat ἐπιχειροτονίαν vel διαχειροτονίαν δοῦναι, τὸν ψῆφον δοῦναι, ἐπιψηφίζειν, τὰς γνώμας ἐπιψηφίζειν, ἐπιψηφίζειν τῇ ἐκκλησίᾳ, τῷ δήμῳ, ἐς τὴν ἐκκλησίαν, aut quae plures sunt dicendi formulae hisce similes, in quibus perspicuum est, illas proprie referri ad caussas, in quibus sublatâ manu, — hasce ad rogationes, in quibus calculo in urnam immisso voluntas Civium declarabatur, aut ferebantur suffragia, quamquam deinde (uti

(uti fit) loquendi usus nullum amplius discrimen fecit. Plura de argumento satis cognito non colligam: Pauca satis sunt, eaque classica loca ex DEMOSTHENIS Androtianâ, pag. 383. §. 10. ταῦτ' ἐπήρετό, φησιν, ὁ Ἐπιστάτης. διεχειροτόνησεν ὁ δῆμος. ἔδοξε· ibidemque §. 17. ὅτι πρῶτον μὲν οἱ προεδρεύοντες τῆς βουλῆς, καὶ ὁ ταῦτ' ἐπιψηφίζων Ἐπιστάτης, ἠρώτων καὶ διαχειροτονίαν ἐδίδοσαν. —— Atque hic iterum mirari subit, cur demum in isto quoque loco Corsinus Diss. VI. §. 9. pag. 274. per Ἐπιστάτην intelligat eum, qui non erat e numero Prytanum, — ipse ille Corsinus, qui τὸν Πρόεδρον ἐπιψηφίσαντα apud AEschinem π. τ. παραπρ. pag. 39. 15. ed. Steph. & contra Ctesiphontem pag. 64. 20. demonstraverat fuisse Demosthenem Prytanin. Alia discere potuisset a Duumviris egregiis, KUSTERO de V. Med. Gr. Sect. II. §. 9. HEMSTERHUSIO ad Luciani Timonem §. 43. Tomo I. Opp. pag. 156. qui ambo de verbo ἐπιψηφίζειν ante illum (Diss. VI. §. 10.) jam egerant, praeeunte pariter Viro praeclaro DUKERO ad Thucyd. Lib. VI. Cap. 14. Hemsterhusius praeterea formulam τῶν προέδρων ἐπεψήφιζε Δωρόθεος FLAVIO JOSEPHO jam restituerat. — Quin, ut vela tandem contrahamus, cum constet, Prytaniae Epistaten cuncta peregisse omnium Collegarum nomine, sive Prytanes illi tantum essent, sive Συμπρόεδροι, hinc facile intelligitur, cur Psephismatibus Πρόεδρος pro Epistatâ in fronte saepius praescribatur, passimque, quando de supremo Concionis Atticae moderatore sermo est, Ἐπιστάτης ille, Πρόεδρος, & Πρύτανις promiscue dicatur, uti, praeter Kusterum, ipse jam observavit Corsinus pag. 274. auctoritate praesertim usus Thucydidis, quae & Kusterum non fugerat. Τὸν δὲ Πρύτανιν καλεῖ Δημοσθένης καὶ Ἐπιστάτην, inquit SCHOL. *MS. ad Aristidem* (pag. 310.) cujus Scholiastae Codex, olim Drakenborchianus, mox Burmannianus, jam est in Bibliothecâ Leidensi, cujusque, intra decem dierum spatium scripta a Magno VALCKENAERIO, utilissima excerpta partem supellectilis meae faciunt. — Igitur, quando *Prytani* a Thucydide tribuuntur, quae *Epistatae* fuerunt, nescio, quid Duumviris Italis in mentem venerit, ut Epistaten in Concione fuisse Prytanin negarent. — His denique invictis argumentis accedunt haud perspicua minus, de Socrate Prytani & Epistatâ, Platonis ac Xenophontis testimonia, quorum describendis verbis, supra jam memoratis, hic supersedemus. — Atque adeo, ut ex omnibus, quae disputavimus, cogamus tandem quod mihi volebam, certissimum est, cuncta proponendi ad Populum, referendi, rogandi, in suffragia mittendi, omninoque moderandae Concionis Atticae officia pertinuisse ad munus τοῦ Ἐπιστάτου ἐκ Πρυτανέων καὶ τῶν Συμπροέδρων.

O §. VIII.

§. VIII. Sed vero, quaerat a nobis aliquis, & jure quidem, anne igitur nullae fuerunt partes *Novem-virorum* seu alterius *Epistatae cum octo Proedris*, qui ex novem Tribubus Prytaniam non obeuntibus ab Epistatâ Senatûs legebantur? An illi prorsus egerunt nihil & otiosi fuerunt in Comitiis spectatores? — Aliquae certe eorum fuerunt partes: Quae fuerint (ingenue fateor) ignoramus. Ne tamen plane ἀσύμβολοι hinc abeamus, quando id quod verum est probatumque dare non possumus, conjecturâ defungamur. — Indicio Harpocrationis & Lexici Rhetorici novimus, diversas fuisse partes Epistatae ac Proedrorum e Prytanibus ab illis, quas Novem-viri, e Tribubus Prytaniam non obeuntibus lecti, administrabant, diversam saltem utriusque Epistatae functionem muneris, ἣν ἑκάτερός τινα διοίκησιν διῴκει. —— ARISTOTELIS *de Republicâ Atticâ* liber fundus fuit eorum, quae tradunt: Quidni vel uno ex *Aristotele* verbo monuerunt, quaenam *diversa* illa fuerit *administratio*? — PLUTARCHUS, ubi Solonis memorat instituta, quibus popularem formam cum auctoritate Optimatium conjunxerat atque temperaverat, geminum ab illo constitutum ait Senatum, Areopagum & Quadringentos, quibus, tanquam *duabus anchoris*, salus Reip. inniteretur; illum ut Juris Legumque custos esset & vindex, hos ut consiliis suis Populo praeirent, ita quidem ut nihil ad Populum proponeretur, aut de nullâ re in Concione referretur, cui *Quadringenti* (deinceps *Quingenti*) facti non fuissent auctores, μηδὲν ἐᾶν ἀπροβούλευτον εἰς ἐκκλησίαν εἰσφέρεσθαι. Sperabat quippe sic fore, ut, quamvis factionum salo agitaretur aliquando Civitas, minus tamen saepius id fieret & minore cum periculo, ἧττον ἐν σάλῳ τὴν πόλιν ἔσεσθαι, καὶ μᾶλλον ἀτρεμοῦντα τὸν δῆμον παρέξειν, Vol. I. pag. 194. ed. Bryan. (Tomo I. Opp. pag. 88. D.) Quemadmodum autem ille, qui mediâ inter *Oligarchiam* & *Democratiam* incedebat viâ, δημοτικὸς ὢν καὶ μέσος, id statim expertus est, quod in simili rerum conditione semper experiuntur viri probi salutisque publicae vere studiosi, ἤρεσε δ' οὐδετέροις καὶ προσέκρουσε τοῖς πλείστοις ἕτερα προσδοκήσασιν, sic & utriusque illius *anchorae* firmitas ab ipso *salo populari*, allidentibus continuo hinc & inde factionum fluctibus, sensim sensimque labefactata est: Et de Areopago quidem certo id novimus, uti dictum est a nobis breviter ad praecedentia. *Quingentis* vero quid acciderit, ex Republicâ Romanâ conjecturam capere licet: Illa in quam plurimis ad exemplum Civitatis Atticae fuit composita, interque ea & hoc erat, ut *Populus nihil juberet*, *nisi Patres auctores ante fierent*, (μηδὲν ἀπροβούλευτον εἰς τὸν δῆμον ἐσφέρεσθαι, ait APPIANUS. Vid. SIGONIUM ad Livium Lib. I. Cap. 17.) ita quidem

dem ut in Legibus Magiſtratibusque rogandis *idem jus uſurparetur*, *vi tamen ademtâ:* Nam, quando Plebiſcitis praeſertim, per Leges Valeriam, Horatiam, Publiliam & Hortenſiam, Legum vis eſſet tributa, quae univerſum Populum tenerent, iſta Senatûs auctoritas deinceps vanum fuit nomen & umbra. — Ac Romae aliqua (fatemur) frangendae illius auctoritatis aut abrogandae erat ratio, ubi Senatores a Cenſoribus, non ab ipſo Populo, legebantur: Sed Athenis, in qua Urbe οἱ Πεντακόσιοι ex univerſis Civium ordinibus per ſortem ducebantur, quin & numerus Senatorum (*Quingentorum*) ad Conventum popularem proxime accedebat, nulla mutandi aut potius negligendi ſaluberrimi inſtituti fuit cauſſa, niſi iſtud quod formae Democraticae proprium eſſe videtur pondus, quo omnia, quam ſalutaria etiam & prudentiae plena, ſecum trahit & praecipitat, donec prorſus ruat in Tyrannidem. Neglectam autem, ſi minus mutatam fuiſſe, Solonis Legem, teſtis eſt DEMOSTHENIS Oratio contra Androtionem — LIBANII in Argumento illius Orationis verba ſunt: νόμου κελεύοντος μὴ πρότερον εἰς τὸν δῆμον ψήφισμα ἐκφέρειν, πρὶν ἐν τῇ βουλῇ δοκιμασθείη: Et alterius Argumenti: ὧν νόμων πρῶτός ἐστιν, ἀπροβούλευτον ψήφισμα μὴ εἰσιέναι ἐν τῷ δήμῳ. ἐπειδὴ γὰρ πολὺς ἦν ὁ δῆμος, καὶ πολλάκις παρεκρούετο, μὴ νοῶν εἰ ἔχει ἐμφωλεύουσαν κακουργίαν, πρῶτον παρεπέμπετο εἰς τὴν βουλὴν τῶν Πεντακοσίων, καὶ αὕτη ἠρεύνα, εἰ ἔχει βλάβην τινα ἢ κακουργίαν. *Quarum Legum prima erat, ne aliqua rogatio ad Populum proponeretur, quae Senatûs auctoritate non eſſet probata: Etenim, cum magna eſſet Civium multitudo, eaque ſaepius circumveniretur, haud animadvertens latentem in inſidiis malitiam, rogatio primum ad Senatum Quingentorum deferebatur, isque, an aliquod ei ineſſet detrimentum aliquave injuria, exquirebat.* At vero, ſuâ ſolius auctoritate, inconſulto Senatu, Populus Athenienſis, ſeriori aetate, Plebiſcita condidit: Et, quamvis in illâ cauſſâ Androtianâ ratio forte fuerit, cur ipſe Senatus auctor fieri non poſſet, ut ſibi coronae praemium a Populo decerneretur, ſine tali tamen neceſſitate probabili Quingentorum auctoritatem alias etiam fuiſſe omiſſam aut neglectam, teſtantur nomina τοῦ ἀπροβουλεύτου & τοῦ αὐτοτελοῦς ψηφίσματος, quibus iſtiusmodi Leges, Quingentis non auctoribus latae, appellatae ſunt. Vid. HARPOCR. v. ἀπροβούλευτον, & HESYCH. v. ψήφισμα αὐτοτελές, ibique KUSTERUM. — Igitur neceſſe erat, ut ejusmodi Concioni, in qua Senatûs nullae erant partes, nulla auctoritas, praeeſſent alii quam Prytanes aut Proedri e Prytanibus ducti. Quin in univerſum, quia accidere poterat, ut Senatûs judicium vel auctoritas cum voluntate aut ardore Populi conflictaretur ac velut colli-

 lide-

lideretur, hinc factum videtur, ut, invalescente magis magisque Democratiâ, si minus Populi licentiâ, hic sibi suaeque dignitati consultum voluerit, lectis Epistatâ & Proedris, qui sua jura suave placita tuerentur, si quando a Prytanibus & Senatu Concio dissideret; quare etiam Novemviri illi legebantur ex Tribubus, Prytaniâ non fungentibus, quia nimirum ἡ φυλὴ ἡ πρυτανεύουσα Prytanibus, e suo sinu ductis, forte nimium faveret. Neque ista conjectura nostra omni testimonio destituitur: Aliquod saltem ei fundamentum est in iis, quae reperiuntur apud SUIDAM v. Ἐπιστάτης. ἐπειδὰν δὲ οἱ Πρυτανεῖς συναγάγωσι τὴν βουλὴν, ἢ τὸν δῆμον, ὁ Ἐπιστάτης κληροῖ Προέδρους ἐννέα ἀπὸ φυλῆς ἑκάστης ἕνα, πλὴν τῆς πρυτανευούσης· καὶ πάλιν ἐκ τῶν ἐννέα τούτων Ἐπιστάτην ἕνα κληροῖ, καὶ τὸ πρᾶγμα παραδίδωσιν. αὐτὸς δὲ εἰσάγει τὴν δίκην, καὶ ἐπιμελεῖται τοῦ κατὰ νόμον πάντα γίνεσθαι, καὶ μηδὲν παραλειφθῆναι πρὸς τὸ διδαχθῆναι τοὺς δικαστάς. Leve est, quod tum in istis Suidae, tum in Polluce, ex quo illa partim hausta esse supra videbamus, copulativam substituendam existimem disjunctivae, legendumque συναγάγωσι τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον, ut tunc demum ista Novem-virorum sortitio locum habuerit, quando Senatus eodemque tempore Populus, relationis faciendae gratiâ, convocabatur, uti apud Demosthenem: οἱ μὲν Πρυτάνεις τὴν βουλὴν ἐκάλουν εἰς τὸ βουλευτήριον· ὑμεῖς δ' εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἐπορεύεσθε. —— Porro ait Suidas, Prytanum Epistatam *negotium commisisse* alteri Novem-virûm Epistatae, καὶ τὸ πρᾶγμα παραδίδωσι, — tale nempe *negotium*, in quo duplex persona erat sustinenda; altera Senatûs, altera Populi; altera adeo Prytaneos, altera Epistatae Novem-viri, ita ut utriusque officium per ipsam rei naturam ab altero esset sejungendum. — Et quod demum *negotium* illud erat? —— Αὐτὸς δὲ (inquit SUIDAS) εἰσάγει τὴν δίκην, καὶ ἐπιμελεῖται τοῦ κατὰ νόμον πάντα γίνεσθαι, καὶ μηδὲν παραλειφθῆναι πρὸς τὸ διδαχθῆναι τοὺς δικαστάς. —— Ergo *negotium* istud, quod Epistates Senatûs, Prytanum nomine, ulterius *curandum committebat* alteri Epistatae Novem-viro, δίκη erat, *judicium* aliquod, ab ipso Populo ferendum, seu talis caussa, in quâ ipse Populus sedebat judex, aut (ut verius forsitan dicamus) de quâ illi cognoscebant δικασταὶ, qui universi Populi vices in judiciis istis publicis peragebant. Rem, quam a nemine tractatam novimus, paulo latius exponamus.

§. IX. Primum itaque SUIDAS Suidae sit interpres, in illâ Notâ, quae prorsus eadem est in *Lexico Rhetorico* MS. v. Εἰσαγγελία. Εἰσαγγελία, inquit, ἐπὶ τῶν μεγάλων καὶ δημοσίων ἀδικημάτων γίνεται· Εἰσαγγελία κυρίως ἡ περὶ κοινῶν καὶ δημοσίων ἀδικημάτων εἰσαγομένη δίκη ὑπὸ τῶν Πρυτανέων, περὶ ὧν διαῤῥήδην

μὲν

μὲν οὐδὲν λέγουσιν οἱ νόμοι, συγχωροῦσι δὲ κρίτεις γενέσθαι. Καὶ τοῦτο ἐστὶν, οἷον τὸ ἐν ταῖς τῶν Σοφιστῶν διατριβαῖς μελετώμενον τὸ τῶν ἀγράφων ἀδικημάτων. Suidae & Lexicographi MS. teſtimonio edocemur, Judicia publica, quae εἰσαγγελίαι Athenis dicebantur, illam ſaltem εἰσαγγελίας ſpeciem, quae verſabatur in delictis, contra Populi auctoritatem ſalutemve commiſſis, de quibus nihil diſerte alicujus Legis verbis erat cautum, conceſſum tamen publice illa perſequi, — iſta, inquam, Judicia ad Populum fuiſſe inducta ὑπὸ τῶν Πρυτανέων, ab Epiſtatâ & Proedris Prytanibus, non tantum quinquaginta Prytanum nomine ſed & univerſi Senatûs. Nimirum, ſi tale eſſet crimen, de quo certa exſtaret Lex, certum Judicium, certa & definita poena, Thesmothetarum erat, nonnullis in cauſſis Regis Sacrorum, εἰσάγειν τὴν δίκην εἰς τὸ δικαστήριον. —— Verum, quum iſta omnia non eſſent definita nec certa, neque conſtaret adeo, ſecundum quam normam ab Archontibus judicium eſſet inſtituendum, tum res ad Senatum erat deferenda, qui, ſi minoris momenti videretur, de eâ ſuo arbitrio ſtatuebat; ſin majoris, ſuâ iterum vice illam deferebat ad Populum, i. e. ad *Heliaſtas*, non *diviſos* in ſua Tribunalia, ſed ita *congregatos collectos*que, ut congregari & colligi ſolebant, quando judicium univerſi Populi nomine erat pronunciandum: Cumque Prytanes atque Epiſtata Prytanum, Senatûs nomine cauſſam ad Judices illos populares deferentes, Accuſatoris gerebant partes, ſive Accuſationem ſuâ Senatûsque confirmabant auctoritate, neceſſe erat, ut jam alius eſſet Epiſtates, alii Proedri, qui *Delegatis Populi*, univerſo nempe *Judicio Heliaſtico*, tanquam Judices extra partes poſiti, praeeſſent. —— Quae ſic paucis adfirmamus, probemus pluribus. —— HARPOCRATIONIS ſunt verba, & SUIDAE prope eadem in v. εἰσαγγελία. Εἰσαγγελία, δημοσίας τινὸς δίκης ὄνομά ἐστι. τρία δέ ἐστιν εἴδη εἰσαγγελιῶν· ἡ μὲν γὰρ, ἐπὶ δημοσίοις ἀδικήμασι μεγίστοις, καὶ ἀναβολὴν μὴ ἐπιδεχομένοις, καὶ ἐφ' οἷς μήτε ἀρχὴ καθέστηκε, μήτε νόμοι κεῖνται τοῖς ἄρχουσι, καθ' οὓς εἰσάξουσιν, ἀλλὰ πρὸς τὴν βουλὴν ἢ τὸν δῆμον ἡ πρώτη κατάστασις ἐστὶ· καὶ ἐφ' οἷς τῷ μὲν φεύγοντι, ἐὰν ἁλῷ, μέγισται ζημίαι ἐπίκεινται· ὁ δὲ διώκων, ἐὰν μὴ ἕλῃ, οὐδὲν ζημιοῦται, πλὴν ἐὰν τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων μὴ μεταλάβῃ, τότε γὰρ χιλίας ἐκτίνει. τὸ δὲ παλαιὸν καὶ οὗτοι μειζόνως ἐκολάζοντο. —— Poſtrema illa inter plura ſunt exempla, quibus probetur, quam, creſcente vi Democratiae, creverit etiam Athenis calumniatorum favor & cum favore malitia illorum atque licentia; quam temere neglectae, fractae, abrogatae fuerint, ab antiquis, a Solone praeſertim, contra hoc liberarum Rerumpublicarum malum, civiumque bonorum peſtem acerbiſſimam, latae Leges, quas merito laudat ISOCRATES de Permut. pag.

 344.

344. E. ed. Steph. — Sed iſtud argumentum tractabimus alias: Haud uberius eſt ullum, haud gravius in Hiſtoriâ Atticâ, haud noſtrâ praeſertim aetate fructuoſius, ſed pro dignitate omnium oculis proponendum. — Ad εἰσαγγελίας, calumniatorum Athenis pabulum, eſt redeundum. —

§. X. Pollucis inſignis locus eſt, quamquam haud omni parte ſanus, Lib. VIII. Cap. 6. Segm. 51—53. Ἡ δ' εἰσαγγελία, τέτακται ἐπὶ τῶν ἀγράφων δημοσίων ἀδικημάτων, κατὰ τὸν νόμον τὸν εἰσαγγελτικὸν· ἀμφοτέρας γὰρ λέγουσιν, ὡς λέγει περὶ ὧν οὐκ εἰσὶ νόμοι. (Iſta vix integra, nedum perſpicua videntur. Quid ſi ſcribamus? κατὰ τὸν νόμον τὸν εἰσαγγελτικὸν· οὕτως γὰρ λέγουσιν· ὡς δὲ Τήλεφος λέγει, περὶ ὧν οὐκ εἰσὶ νόμοι. Telephus nempe Grammaticus, in Commentariis de *Judiciis ac Tribunalibus Atticis.*) ἀδικῶν δέ τις (cum Jungermanno legendum δ' εἴ τις) — ἀδικῶν δ' εἴ τις ἁλίσκεται, ἢ ἄρχων, ἢ ῥήτωρ, εἰς τὴν βουλὴν εἰσαγγελία δίδοται κατ' αὐτοῦ· κἂν μὲν μέτρια ἀδικεῖν δοκῇ, ἡ βουλὴ ποιεῖται ζημίας ἐπιβολήν· ἂν δὲ μείζω, παραδίδωσι δικαστηρίῳ· τὸ δὲ τίμημα, ὅ, τι χρὴ παθεῖν, ἢ ἀποτῖσαι. ἐγίγνοντο δὲ καὶ εἰσαγγελίαι κατὰ τῶν καταλυόντων τὸν δῆμον ῥητόρων, ἢ μὴ τὰ ἄριστα τῷ δήμῳ λεγόντων, ἢ πρὸς τοὺς πολεμίους ἄνευ τοῦ πεμφθῆναι ἀπελθόντων, ἢ προδόντων φρούριον, ἢ στρατιὰν, ἢ ναῦς, ὡς Θεόφραστος ἐν τῷ περὶ Νόμων. ὅτι δὲ ὁ εἰσαγγείλας καὶ οὐχ ἑλὼν ἀζήμιος ἦν, Ὑπερίδης ἐν τῷ ὑπὲρ Λυκόφρονός φησι· καίτοι γε ὁ Θεόφραστος, τοὺς μὲν ἄλλας γραφὰς γραψαμένους χιλίας τ' ὀφλισκάνειν, εἰ τοῦ πέμπτου τῶν ψήφων μὴ καταλάβοιεν, καὶ προσατιμοῦσθαι· τοὺς δὲ εἰσαγγέλλοντας, μὴ ἀτιμοῦσθαι μὲν, ὀφλεῖν δὲ τὰς χιλίας. ἔοικε δὲ τοῦτο διὰ τοὺς ῥᾳδίως εἰσαγγέλλοντας ὕστερον προσγεγράφθαι. Scilicet, ut recte Pollux, poena infamiae, aliis in cauſſis praeter mulctam ſtatuta contra illos, qui per calumniam accuſabant, ſeriori Reip. aetate abrogata fuit in accuſationibus publicis, quae εἰσαγγελίαι dicebantur, ut eo tutius faciliusque calumniatores contra innocentem quemvis graſſarentur. Id eſt, quod aiunt Harpocration & Suidas: Καὶ οὗτοι τὸ παλαιὸν μειζόνως ἐκολάζοντο. — Addit Pollux. Χίλιοι δὲ κατὰ μὲν τὸν Σόλωνα τὰς εἰσαγγελίας ἔκρινον· κατὰ δὲ τὸν Φαληρέα, καὶ πρὸς πεντακόσιοι. Certiſſime male vertit Interpres Latinus: *Mille autem juxta Solonis Leges, citationes judicabant, ſecundum Phaléreum vero, Quingenti:* At, dum errorem corrigere tentat, gravius etiam erravit Kuhnius. " Interpres (ait) „ πρὸς non expreſſit, quod vult, Phaléreum *mille* Judicibus *quingentos* „ Lege ſuâ addidiſſe. " Vertendum fuerat: " Ex Lege Solonis Collegium „ Heliaſtarum, *mille* numero, de accuſationibus iſtis publicis judicabat; „ ſed, ſecundum Demetrium Phaléreum, in Libris *de Legibus Athenienſium*, inſuper *quingenti.*" Demetrius Phaléreus ἐν τοῖς περὶ τὴν ἐν Ἀθήνησι

νομο-

νομοθεσίαν non tantum ab Harpocratione laudatur, verum etiam a CICERONE de Legibus Lib. II. Cap. 25. & 26. Quamquam enim haud ignoro eundem, & virum Athenis principem, & Litterarum, Grammatices etiam, fuisse studiosum, κατὰ τὸν Φαληρέα tamen & alibi apud Pollucem (vid. Lib. VIII. §. 102.) non *Legem* ab illo latam, sed *Commentarios* ab eo scriptos notare videtur. Quod ad *millenos* illos seu, auctore Phaléreo, *millenos quingentos*, qui de εἰσαγγελίαις jus dixerunt, minime dubium est, Judices fuisse Heliastas: Nam, quum *quingenti* singulis annis Heliastae sorte ducerentur, in caussis majoris momenti duo conveniebant δικαστήρια; & *mille* Judices reperiebantur conjuncti: Si maximi essent momenti, tria in unum congregabantur δικαστήρια, & sedebant Judices *mille & quingenti*; ita nempe, ut Judices prioris anni duorumve annorum proxime praecedentium Judicibus anni labentis aggregarentur. Id saltem colligendum nobis videtur ex POLLUCE Lib. I. §. 123. & ex iis, quae iisdem pene verbis habet HARPOCRATION v. Ἡλιαία. Quin, nisi conjecturâ fallimur, in plerisque delictis publicis, magnum istud Ἡλιαίας δικαστήριον ipsius Populi in judicando vices sustinuit, quare & ritu solemni, procuratisque prodigiis, uti ipsa Concio, congregabatur. — Quidquid sit, sive ipse Populus, sive Populi vice mille ac quingenti Heliastae de εἰσαγγελίᾳ judicaverint, Epistata caeterique Novem-viri, ex Tribubus Prytaniam non obeuntibus lecti, illi Judicio populari praefuisse videntur, dum alter Epistata & Proedri Prytanum, *commisso illis negotio*, Senatus nomine εἰσαγωγέων partibus fungebantur. Qui autem in Judiciis Atticis εἰσαγωγεῖς dicti fuerint, satis cognitum esse arbitramur: Paucis tamen dicemus: Εἰσαγωγεῖς (scriptum est in *Lexico Rhetorico* MS) — εἰσαγωγεῖς ἦσαν ἑκάστου δικαστηρίου, καὶ ἄρχοντες, οἱ εἰσῆγον αὐτοῖς τὰς δίκας. Nulla nimirum in Tribunalibus Atticis accusatio sive caussa criminis recipiebatur, nisi post praejudicium ab uno ex Archontibus, maxime ab uno ex Thesmothetis, (prouti accusationis erat indoles aut species) habitum: Is vero Archon vel Thesmotheta, qui habitâ summatim caussae cognitione (in Foro Attico ἀνάκρισις illa dicebatur) caussam in judicium admittendam censuerat, dicebatur εἰσάγειν τὴν δίκην, ipseque erat εἰσαγωγεύς. Conf. ULPIAN. ad Demosth. c. Midiam pag 347. §. 186. Jam autem hae partes Epistatae & Proedris Prytanum a Grammaticis, quorum verba supra descripsimus, perspicuo tribuuntur. Εἰσαγγελία, inquit SUIDAS, κυρίως ἡ περὶ κοινῶν καὶ δημοσίων ἀδικημάτων εἰσαγομένη δίκη ὑπὸ τῶν Πρυτανέων. Quod illic εἰσάγειν, id apud Pollucem est, παραδιδόναι τῷ δικαστηρίῳ. Atqui hoc ipsum παραδιδόναι, junctum τῷ εἰσάγειν, inter officia Epistatae Prytanum a Suidâ censetur. Καὶ πάλιν ἐκ τῶν ἐννέα

τούτων

τούτων Ἐπιστάτην ἕνα κληροῖ, καὶ τὸ πρᾶγμα (curam nempe illi, tanquam Praesidi, popularis Judicii habendam) παραδίδωσιν. αὐτὸς δὲ εἰσάγει τὴν δίκην, καὶ ἐπιμελεῖται τοῦ κατὰ νόμον πάντα γίνεσθαι, καὶ μηδὲν παραλειφθῆναι πρὸς τὸ διδαχθῆναι τοὺς δικαστάς. Aliis in cauſſis, de quibus certae erant Leges, Archontis vel Thesmothetae hae erant partes, ut Judices edoceret de omnibus iis, quae in priori ἐξετάσει vel ἀνακρίσει compererat, provideretque, ut ſingula jure ſierent ac ſecundum Leges. —— At vero ſatis jam temporis & loci huic Disquiſitionis noſtrae parti datum eſt: Videamus, an aliqua inde lux accendi poſſit iis, quae *de Socrate Epiſtatâ* referuntur; quin & an forſitan Viri incomparabilis conſtantia & felix (ut ita dicam) audacia eo clarius inde eluceſcant.

§. XI. Antequam autem id agamus, adſcribendus eſt locus AESCHINIS SOCRATICI, uti dicitur, quem, recitatis omnibus aliis teſtimoniis, diſtulimus ad poſtremam hancce disputationis noſtrae partem. Is quippe locus eſt, qui bene intellectus atque expoſitus novum decus virtuti Socraticae addere videatur, ſed idem plus ſemel corruptus & depravatus. En illius verba Dial. III. (*Axiocho* ſive *de Morte*) Cap. 12. poſt ea, quae ſupra retulimus: ἐπεί τοιγε, Ἀξίοχε πολιτικὲ, ποῦ τέθνηκε Μιλτιάδης; ποῦ δὲ Θεμιστοκλῆς; ποῦ δ᾽ Ἐφιάλτης; ποῦ δ᾽ οἱ πρώην βασιλεῖς καὶ στρατηγοί; ὅτ᾽ ἐγὼ μὲν οὐκ ἐπηρόμην τὴν γνώμην, οὐ γάρ ἐφαίνετό μοι σεμνὸν δήμῳ μαινομένῳ συνεξάρχειν· οἱ δὲ περὶ Θηραμένην, καὶ Καλλίξενον, τῇ ὑστεραίᾳ Προέδρους ἐγκαθέτους ὑφέντες, κατεχειροτόνησαν τῶν ἀνδρῶν ἄκριτον θάνατον· καίτοιγε σὺ μόνος αὐτοῖς ἤμυνες, καὶ Εὐρυπτόλεμος, τρισμυρίων ἐκκλησιαζόντων. —— Primum, quid ſit δήμῳ μαινομένῳ συνεξάρχειν nemo facile dixerit: Quid velit Scriptor, manifeſtum eſt: *Cum inſanienti Populo inſanire*, indecorum Socrati videbatur: Sed illud non eſt συνεξάρχειν. —— Memini, & ſemper cum voluptate recordabor, illius temporis, quo, vix dum adoleſcentiam ingreſſus, & Literarum Graecarum cognitione ad percipiendas graviores diſciplinas, ad ſtudium praeſertim Legum, animum imbuens, ab ore pendebam ſummi Hemſterhuſii, AEſchinem Socraticum interpretantis; (& Axiocho quidem vehementer delectabatur aut potius commovebatur venerandus ſenex.) " Crediderim, (ille nobis aiebat,) legendum eſſe συνεξαίρειν. Quamquam hoc verbum in Theſauro ,, H. Stephani non reperitur, tamen ſatis eſt frequens apud optimos Scri- ,, ptores, ſignificatque *ſimul cum aliquo ſe efferre irâ conceptâ*, *illum imitari*, *fugiente alio fugientem illum ſequi*. Qui *ſimul cum alio rem eandem* ,, *ſuſcipit*, vel *eodem affectu agitatur*, dicitur συνεξαίρειν. —— Συνεξαίρειν δήμῳ

,, μαι-

„ μαινομένῳ notat *cum Populo furente simul furere*, *se ad nutum Populi in-* „ *sanientis componere*, *ad furorem & insaniam pari ratione cum Populo* „ *se conferre.*" —— Optimi Praeceptoris ipsa verba referre placuit: Donec certior emendatio reperiatur, habet, quo se commendet, conjectura. —— Συναίρειν vel συναίρεσθαι *adsentiendi* vel *adstipulandi* significationem habere videtur, sive ratio petatur a *levando onere communi communibus viribus*, sive a *tollendâ simul manu in ferundis suffragiis.* — Porro *Regibus* hic nullum esse locum, absurdamque lectionem, οἱ πρώην βασιλεῖς καὶ στρατηγοὶ, quam certissimum est. Cum vox βασιλεῖς absit a Codice Mediceo neque reperiatur in vetustissimâ editione Stobaei Trincavellianâ, ubi est τοῦ δὲ πρώην οἱ δέκα στρατηγοί, — Hemsterhusius quoque rectius omitti censebat. Et certe, si illam simpliciter lectionem sequamur, nihil desiderabimus, quandoquidem, quod *decem* illa *Duces* memoret, cum sex tantum secundum injustissimam sententiam fuerint necati, id neminem offendet, qui meminerit, in narrandâ hac iniquâ condemnatione *decem* passim dici, qui e numero fuerint denario, — ab ipso Platone, ὅτε ὑμεῖς τοὺς δέκα στρατηγοὺς — ἐβουλεύσασθε ἀθρόως κρίνειν, παρανόμως· — ab AElîano, a PHILOSTRATO de Vit. Soph. Lib. II. Cap. 9. a Valerio Maximo, aliisque, uti observatum est ab OLEARIO ad d. Philostr. locum pag. 584. a PERIZONIO ad AEl. l. laud. a WESSELINGIO Observ. Lib. I. Cap. 1. & ad Diod. Sic. Lib. XIII. Cap. 101. ab ERNESTIO ad Xenoph. Mem. Lib. I. Cap. 1. §. 18. At vero, quamvis vox βασιλεῖς addi potuerit ab illo, qui καὶ pro δέκα legerit, eamque necessariam crediderit pro captu ingenii ad supplendam sententiam, existimaverim tamen, illam non esse ortam de nihilo, sed forte scriptum olim οἱ πρώην ἐν δεσμοῖς δέκα στρατηγοί, aut simile quidpiam. Namque, uti auctor est Xenophon, sententiam dicente Timocrate, in vincula conjecti sunt viri de Patriâ praeclare meriti. Τιμοκράτους δ' εἰπόντος, ὅτι καὶ τοὺς ἄλλους χρὴ δεθέντας ἐς τὸν Δῆμον παραδοθῆναι, ἡ Βουλὴ ἔδησε. — Neque tamen seu istud vitium seu haec conjectura tanti est, ut aut illi corrigendo, aut huic confirmandae, ulterius inhaereamus. Alia sunt in insigni hoc loco Axiochi, ex quibus illius auctoritas & fides uberius demonstrentur.

§. XII. Novimus scilicet testimonio praesertim Xenophontis, tum gemino *Memorabilium* loco, tum in *Hellenicis*, quamquam universi Senatûs Consultum ex sententiâ furentis Populi fuerat conscriptum, negasse tamen Prytanes, se Populum in suffragia missuros, ita ut de omnibus simul reis,

 in-

indictâ etiam cauſſâ, unâque ſuffragatione, judicium ferretur: Novimus, cum caeteri Prytanes minis Callixeni caeterorumque Demagogorum, clamoribusque Populi, ceſſiſſent tandem, ſolum reſtitiſſe Socratem, neque tantum reſtitiſſe, ſed, quum Epiſtates eſſet & Prytanum primus, perſeveraſſe in negandâ ſuffragatione, cujus ἐπιψηφίσεως concedendae jus apud ſolum erat horum Proedrorum Praeſidem, ita ſaltem, ut illo diſſentiente, atque adeo ſine illius auctoritate, Concio ad ferenda ſuffragia admitti nequiverit. — Quid igitur factum? Ceſſitne tandem Socrates? minime: Ad extremum usque, ſummo capitis periculo, ſolus vim irruentis multitudinis ſuſtinuit, ſolus minas rabidorum Oratorum contemſit, ſolus impedivit, ne iſto die injuſta ſententia pronunciaretur. — Quem igitur exitum res habuit? Verbo dicemus: Unicus eſt *Axiochi* locus, qui nos doceat id, quod & Plato & Xenophon, & illi quos ſecuti ſunt Aelianus, Valerius Maximus, caeterique Scriptores neglexerunt. — Unus, inquam eſt, qui id nos doceat hiſce verbis: οἱ δὲ περὶ Θηραμένην, καὶ Καλλίξενον, τῇ ὑστεραίᾳ Προέδρους ἐγκαθέτους ὑφέντες κατεχειροτόνησαν τῶν ἀνδρῶν ἄκριτον θάνατον: Quae verba tantum abeſt, ut *auctoritatem non habeant*, ut potius Scriptorem prodant rerum Atticarum iſtius temporis peritiſſimum. Id perſpicuum erit, poſtquam omnia ordine ſuo a nobis fuerint expoſita & illuſtrata. — Naufragos Athenienſes, poſt egregiam ad Arginuſas victoriam navalem, ex undis tollere & cadavera humo mandare non ſiverat ſaeviſſima poſt praelium exorta tempeſtas, etiamſi ſeria de praeſtando hoc officio legitimo conſilia agitasſent Duces &, quod poterant, illud exequendum mandaſſent praeſtantisſimis ex Taxiarchorum numero, Therameni ac Thraſybulo cum aliis: Sed horum conatus (feciſſe enim enim conatus, credendum eſt) impediverant turgentis aequoris impetus ventique. Res ad Senatum Populumque erat referenda: Culpa non ſublatorum naufragorum in Theramenem ac Thraſybulum conjici poterat: At, ſi Xenophontem auctorem & Euryptolemi fidem ſequamur, juſtiſſimus Diomedon, in quo viro excellens animi pii, aequi ſimul & generoſi, fortis, conſtantis, lenis, injuriarum patientis exemplar reperiatur (δικαιοσύνῃ τε καὶ ταῖς ἄλλαις ἀρεταῖς δοκῶν διαφέρειν, inquit Diodorus Siculus) — juſtiſſimus igitur Diomedon, & ingenui pectoris juvenis Pericles, a Collegis impetrant, ut, re ſimpliciter narratâ, ac nihil prorſus in Theramene ac Thraſybulo cum ſociis reprehendentes, unam rationem omiſſi officii conferrent in tempeſtatem undasque horrendum intumeſcentes: Sed, quod viri integerrimi ſuaſerant, ut *id juris in alterum ſtatuerent, quo ipſi uti vellent*, — illud aequitatis ſtudium (uti fie-

fieri folet in rebus humanis, medias praefertim inter turbas populares) ipfis fraudi fuit & interitûs cauffa: Quippe, cum plus apud cives fuos praejudicatam valere opinionem viderent, & caecam in recipiendis fufpicionibus cupiditatem, Theramenes ac Thrafybulus (nam, Thrafybulus qui fuit in liberandâ a Tyrannis Patriâ, eundem hic defideramus, virum fortem & juftitiae tenacem) quae fibi impendebat procella civilis, illam a fuo capite in vitam & fortunas innocentiffimorum Ducum averterunt eo facilius, quod illos Athenas praeverterant, & tuta femper eft in abfentem atque indefenfum calumnia. Itaque, quum Erafiniden aliis primum criminibus Archedemus ad Heliaftas detuliffet, mox Timocrate fuafore, & clam incitante Theramene, omnes qui redierant Duces (redierant autem fex) in vincula duci Senatus & ad Populum deferri jubet. Vocatur Concio; accufant Theramenes aliique calumniae confortes; ipfa illa epiftola, qua Duces accufatoribus fuis parcere voluerant, jam probationis loco contra illos adfertur in medium: Reis dicendi pro fe, quam Lex dabat, negatur facultas: Paucis tantum exponere illis integrum eft, quam parum aut fuae fuiffet poteftatis aut fui arbitrii naufragos tollere; fi quid peccatum, culpam effe Trierarcharum, Theramenis praefertim ac Thrafybuli, quibus ifta cura fervandorum aut extrahendorum e fluctibus civium fuiffet mandata: *Sed vero*, addunt viri fortes & jufti, *quamquam illi nos accufant, nos tamen eos non calumniabimur: Extra culpam funt: Maris faevitia, qua jactati funt, unica omittendi officii fuit cauffa.* Teftes illi producunt, navium magiftros nautasque. Juftus plerumque, nifi ab hoftibus generis humani (Demagogos dicimus) ad omne nefas incendatur, Populus veritatis fenfu flectitur & commovetur: Plures e civibus, remittendos, datis praedibus, reos cenfent: *Sed nulla tam deteftabilis peftis eft*, inquit CICERO, *quae non homini ab homine nafcatur.* Quod fi unquam verum, de iis, quos modo dicebamus, Reip. facibus eft veriffimum: Quid igitur illi, ne ifta eorum accufatio fic abiret? *Advefperafcit*, inclamant: *Per tenebras fublatae manus confpici ac numerari jam nequeunt: Concio in alium diem proroganda: Interim Senatus referat, quo illi modo hoc judicium de reis habendum videatur.* Placet: Nullum enim in iftâ dilatione praejudicium (ut credi volebant fuafores) reis damnofum: Ipfi interim infidias ftruunt & teterrimas adhibent artes, ut multitudinem contra innocentiffimos Duces incendant: Incidunt Apaturia; & pro laetitiâ publicâ, pro ludis & jocis, ifti praefertim Fefto civili propriis, (dolum fic inftruente ac machinam cum fociis parante Theramene) nil nifi atratae

passim vestes, detonsae ad cutem comae, prodeuntes cum lacrymis & gemitu ad Phratoras suos pullati cives: Neque hoc satis: Pretio & precibus conducitur Callixenus Orator, ex illo hominum genere, quibus *rerum natura*, *non parens*, *sed noverca*, (QUINCTILIANI verbis utor) *facultatem dicendi*, *sociam scelerum*, *adversam innocentiae*, *hostem veritatis*, dedisse videatur. Hic dicendo in Senatu Ducesque accusando Consultum ab eo impetrat, ut, nullâ amplius reis concessâ defensione, Cives ad ferenda in geminas urnas tributim suffragia citarentur: Si officio minus recte functi majori suffragiorum numero judicarentur, morte plecterentur, publicarentur bona. Imo, ne quid turpis dëesset artificii (quales fraudes & insidiae haud insolitae sunt isti hominum generi, quibus non firma tantum, sed nulla etiam, frons in rebus civilibus laudanda videtur) erat, qui se dolio insidentem, farinâ pleno, ex undis enatasse & a naufragis mandata vindictae accepisse, impudenter ad credulam multitudinem mentiretur. Sed, quam perdita etiam sit & insana hominum colluvies, ut medios tamen inter furentes cives vel unus saltem aut alter adsit generis humani & justitiae Vindex, velle saepe videtur Numen supremum: Erant idcirco, qui Callixenum violatarum Legum in rogandâ scribendâque Auctoritate Senatûs postularent, tum quod reis (qui ipsis non negabatur homicidis & sacrilegis) omnem pro se dicendi locum interclusisset, tum quod Canoni Psephisma sprevisset, ex cujus praescripto de uno tantum reo unâ suffragatione poterat decerni. Euryptolemus is erat, & nonnulli alii e populo, inter quos & Axiochum fuisse existimamus. Sed quid ad rabidos & efferatos sana mens & ratio? Lyciscus intempestivos hosce monitores eodem, quo Duces, judicio damnandos clamat. Prytanes tamen, se Populum contra Legem (i. e. violato Canoni Psephismate) in suffragia missuros, negant: At, quum Senatus ipse, cujus illi decimam faciebant partem, injustitiae popularis non consors solum esset sed & auctor, unde hisce Quinquaginta-viris, Decem-viris saltem, (si per Πρυτάνεις Proedros Contribules κατ' ἐξοχὴν intelligamus) tantum fuit aequitatis, tantum justitiae studium, ut contra ipsius Senatûs voluntatem niterentur? — Ab uno Socrate, a viro justissimo & sapientissimo. — Id scilicet persaepe valet unius viri constantia ac virtus, ut plures, dum modo ne sint perditissimi & sceleratissimi, in ipsis refraenet nefariorum consiliorum principiis, ac vel ratione reprimat vel pudore suffundat. Sceleratissimus autem erat Callixenus; ipsosque adeo Prytanes accusans, Concionem iterum inflammavit inceditque, incondito clamore poscentem, ut illi, qui e Prytanibus ne-

negarent, ipſi ad Populum rei agerentur. Tum reliqui, metu perculſi & rabiem popularem extimeſcentes, ingruenti ceſſerunt tempeſtati: Solus Sophroniſci filius, Socrates noſter, impavidus perſeveravit; neque civium prava jubentium ardor propoſiti tenacem mente ſolidâ dimovit: Solus ſuffragationem ſe Populo contra Canoni Pſephisma conceſſurum praefracte negavit: Id eſt quod XENOPHON in Hellenicis: οἱ δὲ Πρυτάνεις φοβηθέντες ὡμολόγουν πάντες προθήσειν, πλὴν Σωκράτους τοῦ Σωφρονίσκου· οὗτος δ' οὐκ ἔφη ἀλλ' ἢ κατὰ νόμον (Κανώνου ψήφισμα) ποιήσειν. — Id eſt quod idem Ἀπομν. Lib. I. Cap. 1. §. 18. Βουλεύσας γάρ ποτε, καὶ τὸν βουλευτικὸν ὅρκον ὀμόσας, ἐν ᾧ ἦν κατὰ τοὺς νόμους βουλεύσειν, Ἐπιστάτης ἐν τῷ δήμῳ γενόμενος, ἐπιθυμήσαντος τοῦ δήμου παρὰ τοὺς νόμους ἐννέα στρατηγοὺς μιᾷ ψήφῳ τοὺς ἀμφὶ Θράσυλλον καὶ Ἐρασινίδην ἀποκτεῖναι πάντας, οὐκ ἠθέλησεν ἐπιψηφίσαι, ὀργιζομένου μὲν αὐτῷ τοῦ δήμου, πολλῶν δὲ καὶ δυνατῶν ἀπειλούντων· ἀλλὰ περὶ πλείονος ἐποιήσατο εὐορκεῖν, ἢ χαρίσασθαι τῷ δήμῳ παρὰ τὸ δίκαιον, καὶ φυλάξασθαι τοὺς ἀπειλοῦντας. Id denique quod in iisdem Ἀπομν. Lib. IV. Cap. 4. §. 2. Καί ποτε ἐν ταῖς ἐκκλησίαις Ἐπιστάτης γενόμενος οὐκ ἐπέτρεψε τῷ δήμῳ παρὰ τοὺς νόμους ψηφίσασθαι, ἀλλὰ σὺν τοῖς νόμοις ἠναντιώθη τοιαύτῃ ὁρμῇ τοῦ δήμου, ἣν οὐκ ἂν οἶμαι ἄλλον οὐδένα ἄνθρωπον ὑπομεῖναι. In quo triplici loco Xenophontéo ſynonymae ſunt phraſes, τὴν διαψήφισιν προτιθέναι, ἐπιψηφίσαι, atque ἐπιτρέπειν τῷ δήμῳ ψηφίσασθαι. — Synonyma quoque eſt phraſis in Axiocho ἐπιρέσασθαι τὴν γνώμην (τοῦ δήμου·) Sed paulo latius patere videtur Platonica ψηφίσασθαι. Nam, quum priores locutiones ad Socratem pertineant Ἐπιστάτην, qui civibus ſuffragationem negabat & auctoritate praecludebat ſuâ, ψηφίσασθαι complectitur tum ea, quae egit tanquam Prytanum primus, tum ſententiam quam tulit ut Proedrorum unus aut Civis privatus: Nam in ſolâ iſta negatâ auctoritate non ſubſiſtit Viri immortalis fides: Ad extremum usque, ſequentibus etiam concionibus, in ſententiâ perſeveravit. Quae enim proxima ſunt, & paſſim minus cognita, ulterius perſequamur.

§. XIII. Negante Epiſtatâ, ſuffragatio locum habere non poterat iſto die, donec Socrates munere abiiſſet: Hinc nata Euryptolemo occaſio alteram habendi pro reis orationem, qua argumentum praeſertim urſit a Socrate ex Canoni Pſephismate petitum: Id vel eodem die ab Euryptolemo factum vel ſequenti concione, quod ad rem noſtram haud multum intereſt. Μετὰ δὲ ταῦτα ἀναβὰς Εὐρυπτόλεμος ἔλεξεν ὑπὲρ τῶν στρατηγῶν τάδε, inquit Xenophon, quem ducem ſequimur. — Sine Socrate fuiſſet; & haec ab Euryptolemo pro reis defenſio locum non habuiſſet, aut habere non potuiſſet. — Ac vide quam prope abfuerit, ut ſalutem iis attuliſſet praeclara unius viri

constantia: Nam, quum Euryptolemus Decretum proposuisset hanc in sententiam, "ut de singulis Ducibus seorsim rogationibus singulis ferrentur „ suffragia," quod secundum Canoni Psephisma voluerat Socrates, ad se redierat, ipso veritatis sensu commotus, Populus; in rogationem Euryptolemi consensum est atque decretum. — Sed ecce iterum ab alterâ parte foedissimorum Demagogorum perdita & profligata consilia! Bis pro innocentiâ pronunciaverat Concio; bis ipsa Concionis voluntas ac judicium irrita sunt & evertuntur: Neque ulla Therameni, Callixeno, caeterisque flagitii sociis quies est aut impii conatûs remissio, antequam viros illustres & luculenter de Patriâ promeritos, erga se etiam justos ac benevolos, in ultimam perniciem praecipitassent: Ista quippe Clodiis, Catilinisque agendi est ratio: Nulli parcentes sceleri, nullâ repressi verecundiâ, apud multitudinem inconstantem & mobilem, nunquam non repetitis artibus, insidiis, calumniis, dilationibus, Libertatis etiam studium mentiti, eo tandem perveniunt & escendunt, quo nuda & simplex virtus, fallaciarum & astutiae contemtrix, eniti non potest. — Menecles, e forensibus istis nebulonibus unus, quum jam secundum Leges cum Ducibus agere foret decretum, juravit, *hoc Populi placitum vitio laborare*, rem in alium diem differendam. Quid Socrates faceret Proedrique? Quid Euryptolemus? Legibus, quando commodum est, saepe utuntur mali cives, ut ipsas Leges evertant & Patriae jura. Leges in tali caussâ comperendinationem largiebantur. Comperendinatum est judicium: Proëdriâ abierunt Socrates Socratisque Collegae: Alii successerunt Prytanes, qui, non caecâ sorte, sed *paratis ad id calculis* ducti, instructi porro & subornati, permiserunt, ut Euryptolemi rogatio, factumque secundum eam Populi placitum, rescinderentur, & unâ suffragatione capitalem poenam contra Viros, non nisi laudem & amplissima praemia promeritos, decernerent, inutilem mox poenitentiam acturi, Athenienses. —— Priorem hujus narrationis partem XENOPHONTI debemus. —— Τούτων δὲ διαχειροτονουμένων, τὸ μὲν πρῶτον ἔκριναν τὴν Εὐρυπτολέμου· ὑπομοσαμένου δὲ Μενεκλέους, καὶ πάλιν διαχειροτονίας γενομένης, ἔκριναν τὴν τῆς βουλῆς· καὶ μετὰ ταῦτα κατεψηφίσαντο τῶν ναυμαχησάντων στρατηγῶν, ὀκτὼ ὄντων· ἀπέθανον δὲ οἱ παρόντες ἕξ. Καὶ οὐ πολλῷ χρόνῳ ὕστερον μετέμελε τοῖς Ἀθηναίοις. — Altera pars, quo scilicet modo id, quod negaverat Socrates, sequenti concione fecerit subornatus ad hoc facinus Epistates, — haec pars uni debetur Scriptori Axiochi, silentibus & Xenophonte & Platone: Οἱ δὲ περὶ Θηραμένην, καὶ Καλλίξενον, τῇ ὑστεραίᾳ Προέδρους ἐγκαθέτους ὑφέντες, κατεχειροτόνησαν τῶν ἀνδρῶν ἄκριτον θάνατον. καίτοιγε σὺ μόνος αὐτοῖς ἤμυνες, καὶ Εὐρυπτόλεμος,

λεμος, τελσμυρείων ἐκκλησιαζόντων. —— Verum, ut interpretationis noſtrae ratio eo clarius eluceſcat, quod a nemine factam meminerimus, paucis de ὑπωμοσίᾳ & de Προέδροις ἐγκαθέτοις, antequam huic Disquiſitioni finem imponamus, eſt dicendum.

§. XIV. Ὑπωμοσίαι in Foro Attico dictae ſunt omnes, quae in Jure Romano appellantur, *dilationes* aut *exceptiones dilatoriae*, interpoſito Jurejurando probatae; variaeque adeo erant pro rerum cauſſarumque naturâ, ſive deſertum vadimonium eſſet excuſandum, morbi aut neceſſariae abſentiae ratione, ſive vacatio a legatione aliove munere publico impetranda, uti ex HARPOCRATIONE v. ὑπωμοσία ſatis cognoſcitur. Sed, quae huc pertinet ὑπωμοσια, ab uno POLLUCE optime explicatur, Lib. VIII. Cap. 6. §. 56. Ὑπωμοσία δέ ἐστιν, ὅταν τὶς ἢ ψήφισμα, ἢ νόμον γράφοντα γράψηται, ὡς ἀνεπιτήδειον. τοῦτο γὰρ ὑπομόσασθαι λέγουσι· καὶ οὐκ ἦν μετὰ τὴν ὑπωμοσίαν τὸ γραφὲν, πρὶν κριθῆναι, κύριον. Ὑπωμοσία *eſt, ſi quis eum, qui Populi Decretum Legemve rogaverit, publice accuſet, tanquam qui minus utilem rogaverit. Id enim dicunt* ὑπομόσασθαι, (*rogationem interpoſito jurejur. differre vel comperendinare:*) *Et, poſt talem dilationem, ſub jurejurandi fide interpoſitam, rogatio rata non erat, antequam cauſſa iſta in judicium fuiſſet deducta & judicata.* Nimirum iſta accuſatio γραφὴ erat παρανόμων, inſtituebatur autem actione populari contra eum, qui rogationem aliquam Legibus contrariam in concione propoſuiſſet, vel etiam a Populo jam obtinuiſſet: Judicesque ad illam cognoſcendam ſedebant τὸ Δικαστήριον, magnum Heliaſtarum Collegium. Conferantur quae breviter, ſed eleganter, ut ſolet, de illâ γραφῇ παρανόμων Vir ſcripſit, quem, hac etiam in parte praeſertim, maximi me facere jam ſupra teſtatus ſum, FRIDERICUS-AUGUSTUS WOLFIUS, in Prolegomenis ad Leptineam Demoſthenis pag. 137. Παρανόμων δὲ γραφὴ, idem ait POLLUX ibid. §. 44. εἴ τις ψήφισμα γράφοι, ἢ νόμον παράνομον. Ὑπομοσάμενος γάρ τις τὸ γραφὲν, οὗ ἡ κατηγορία ὑπωμοσία ἐκαλεῖτο, διήλεγχεν, ὅτι ἐστὶ παράνομον, ἢ ἀσύμφορον. —— Eadem accuſatio, ſeu potius idem Jusjurandum calumniae, quod, dilationem Decreti vel Legis interim petente accuſatore, velut pignus erat & ſacramentum cauſſae ad Heliaſtas mox deferendae, ἐπωμοσία dicitur a Scholiaſte ad ARISTOPH. Plutum v. 725. Ἐπωμοσία δέ ἐστιν, ἣν ἐπιδίδωσιν ὁ βουλόμενος ἀντειπεῖν ψηφί-σματι εἰσφερομένῳ· ἐκκαλοῦντο δὲ εἰς τὸ δικαστήριον πολλάκις. —— Idcirco, quum ſententiam Euryptolemi a Populo probatam viderent Callixenus & qui cum illo ac Theramene in perniciem Ducum conjuraverant, forenſi calumniandi arte

arte usi sunt, ut apertam hanc sese legitime defendendi viam reis praecluderent: Atque, uti cadentes vesperi tenebrae antea quaesita fuerat caussa, qua civium erga duces meritam benevolentiam calumniatores fuerant morati, sic alterâ nunc vice irritam illam reddidit falsa Psephismatis incusatio; quales Oratorum ac Rhetorum doli, istâ, quae tunc Athenis erat, rerum conditione, per Jusjurandum calumniae fere nunquam impediebantur. Quid enim vanae sine moribus proficiunt Leges? Quid jus, quid justitia, ubi inter multitudinem regnant vomicae & carcinomata liberarum Civitatium, *assentatores publici*? — Horum e numero Menecles falso jurejurando affirmat, se bonâ fide & sine calumniâ Psephisma Populi, ut vitio latum, accusaturum: Comperendinatur caussa; & quid fit interim? Socrates, per unum tantum diem Epistates, non tantum munere abierat; sed legitimum septem dierum spatium, quo ipse ac Collegae προεδρίαν tenuerant, ante novam quoque concionem erat elapsum. At poterant tamen ex eorundem Prytanum Collegio succedere alii Proedri, juris atque aequi haud minus tenaces. Quid tum? — *Submittuntur composito lecti Proedri & ad scelus subornati.* Ita enim Axiochi verba interpretamur: Οἱ δὲ περὶ Θηραμένην, καὶ Καλλίξενον, τῇ ὑστεραίᾳ Πρoέδρους ἐγκαθέτους ὑφέντες, κατεχειροτόνησαν τῶν ἀνδρῶν ἄκριτον θάνατον· — ἄκριτον θάνατον, inquit, quando Ducibus ad Populum reis nulla pro dignitate caussae defensio fuerat permissa, sed omnes unâ suffragatione contra Leges ad mortem damnati. — HEMSTERHUSIUS, istum locum discipulis, quos inter eram, interpretatus: "Interpretes (aiebat) hoc nomen ἐγκάθετος parum intellexerunt: Alter *adscriptitios* vertit; alter *subdolos*: Ὑφίημι & καθίημι, a quo compositum est ἐγκάθετος, vicinam habent significationem: Prius est *clanculum aliquem subornare, sic ut percipi nequeat, unde is sit submissus, & per fraudem quid agat.* Hinc ὑφιέναι, non tantum in bello (e. gr. *speculatorem hostibus submittere*,) sed etiam de *foro* & *concione* adhibetur. Pariter dicitur quis καθιέναι πολλοὺς φίλους εἰς ἐκκλησίαν, *multos amicos in concionem submittere, qui rem ac commoda curent ejus, qui illos subornavit.* Hi *subornati* vocantur ἐγκάθετοι. —— Ἐγκαθιέναι non debet confundi cum ἐγκαταθέσθαι, quod ponitur de iis. qui *in insidiis subsident, per insidias captant*; hinc *subsessores* dicuntur." —— Et revera HESYCHIUS ἐγκάθετον exponit δόλιον· SUIDAS δόλιον, κατάσκοπον. Exemplis, quae ex Patribus sunt petita, vocem egregie SUICERUS exposuit Thes. Eccles. Tom. I. pag. 987. SUIDAS in v. Πρυτάνεις Fragmentum habet, quod Henricus Valesius Polybio tribuit: Διαπιστοῦντες δὲ οἱ Πρυτάνεις ἤδη τῷ

Φι-

Φιλίππῳ, διὰ τὴν περὶ τὰ Κρητικὰ κακοπραγμοσύνην, καὶ τὸν Ἡρακλείδην ὑπώπτευον ἐγκάθετον εἶναι. — HESYCHIUS verbum ὑποστῆσαι explicans *emtorem ſui loco vel qui ſui perſonam ſubornatus agat*, *ſupponere*, ὅταν τὶς ἐγκάθετον (inquit) στήσῃ ἐπὶ τῷ ὠνήσασθαι τι. In DEMOSTH. Epiſtolâ de Lycurgi liberis pag. 785. §. 39. eſt τοῦ δήμου πρὸς ὑπὲρ αὐτοῦ λέγοντας ὑπ' ἀνθρώπων ἐγκαθέτων διαβληθέντος, uti recte in editione Lambinianâ emendatum eſt pro ἐγκαθέντων. Illi enim ἄνθρωποι ἐγκάθετοι ſunt *homines ad calumniandum ſubmiſſi:* Pariterque Πρόεδροι ἐγκάθετοι *Praeſides* ſunt *Concionis*, *ad id clanculum deſtinati*, *& compoſito per fraudem lecti.* At vero, roget aliquis, quid hoc etiam? Quomodo, qui *forte* ex Senatoribus ducebantur atque ex Prytanibus Proedri, poterant eſſe ἐγκάθετοι, id eſt, *ad arbitrium conſtituti*, & velut ſubornati? — Verbo dicemus.

§. XV. Scilicet ſic quaerat, ſic dubitet, qui Reip. Atticae, qualis illâ erat tempeſtate, aut non meminerit, aut parum ſit peritus: Et ipſe (fatebor enim) cuncta, injuſte licet, ex ordine tamen facta exiſtimans atque ſecundum veteris inſtituti formam ſaltem, ſi minus mentem, per *inſertos* iſtos *Proedros* olim intelligebam *novenos illos non-Contribules*, qui, dum Proedri Prytaniae officium detractarent ſuum, ad injuſtos Populi clamores praeſtandum, jam iis facti erant *ſuccidanei*, uti haud diſſimile veri videtur, *ſuccidaneos* hoſce *non-Contribules* Proedros fuiſſe omnibus in negotiis, in quibus Prytanes fungi munere προεδρίας non poterant. Nunc vero, perſpectâ ipſius comperendinationis naturâ ac cauſſâ, tum etiam reputans, quot & qualia apud Thucydidem ac Xenophontem, apud Oratores etiam, Demoſthenem praeſertim atque AEſchinem, violatarum Legum exſtent exempla artiumque, quibus ſaluberrima veteris Reip. inſtituta eludebantur & circumveniebantur, — his igitur perpenſis, potius exiſtimo, ἐγκαθέτους fuiſſe Proedros, qui, poſtquam Socrates & Collegae προεδρίας abierant, per occultas fraudes, datâ operâ, tales fuerunt lecti, quales eſſe debebant, qui nimirum cum Theramene, Callixeno, Menecle, in necem Virorum fortiſſimorum & innocentiſſimorum conſpirarent: Nam nihil tunc temporis tam turpe erat, tam juri & legibus contrarium, tam indecorum inhoneſtumque, quod in iſtâ Democratiae Atticae licentiâ non admiſerint Demagogi & reliqua turba forenſis, quin palam admiſerint. Deſideratis exemplum? Dabimus, & in ipſo quidem hoc genere, de quo agimus. AESCHINES, ubi multus eſt & vehemens in depingendâ Reipublicae, concionum praeſertim, corruptelâ, neglectuque veterum inſtituto-

rum, quae ad decus & ſalutem Concilii popularis pertinebant, c. Cteſiph. pag. 54. 5. ed. Steph. ἐπειδὰν δὲ (inquit) πάντα τὰ πρότερον ὡμολογημένα καλῶς ἔχειν, νυνὶ καταλέλυται, καὶ γράφουσι τινὲς ῥᾳδίως παρανόμους γνώμας, καὶ ταῦτα ἕτεροί τινες τὰ ψηφίσματα ἐπιψηφίζουσιν, οὐκ ἐκ τοῦ δικαιοτάτου τρόπου λαχόντες προεδρεύειν, ἀλλ' ἐκ παρασκευῆς καθεζόμενοι. ἂν δέ τις τῶν ἄλλων βουλευτῶν ὄντως λάχῃ κληρούμενος προεδρεύειν, καὶ τὰς ὑμετέρας χειροτονίας ὀρθῶς ἀναγορεύῃ, τοῦτον οἱ τὴν πολιτείαν οὐκ ἔτι κοινὴν ἀλλ' ἰδίαν αὐτῶν ἡγούμενοι εἶναι, ἀπειλοῦσιν εἰσαγγέλλειν, καταδουλούμενοι τοὺς ἰδιώτας, καὶ δυναστείας ἑαυτοῖς περιποιοῦντες. *Cum autem, quae modo enarravimus, quaeque omnes fateantur recte ſeſe habere laudemque mereri, nunc neglecta jacent ac velut abrogata, reperiuntur nonnulli, qui faciles ſeſe praebent ad rogationes Legibus adverſas in Concione proponendas: Sunt iterum alii, qui Populum de ejusmodi Pſephismatibus mittant in ſuffragia, non poſtquam juſtiſſimo modo primae ſedis* (προεδρείας) *ſortem obtinuerint, ſed illam ſedem compoſito & paratâ ante arte occupantes: Si quis autem aliorum Senatorum vere & legitime primae ſedis honorem ſortitus ſit, veſtraque Decreta, rite collectis ſuffragiis, rite renunciet, hunc Proedrum iſti, qui adminiſtrationem noſtrae Reip. popularis non amplius communem ſed ſibi propriam habent, minis adoriuntur, ſe eum publice accuſaturos, dum privatos cives ſibi reddunt obnoxios omnesque potentiae ac dominationis partes ſibi vindicant.* — En igitur Proedros non *per ſortem & legitime*, ἐκ τοῦ δικαιοτάτου τρόπου, prima in Concione ſubſellia occupantes, ὄντως κληρουμένους λαχόντας προεδρεύειν, ſed *compoſito*, *per machinationem ac fraudem ſubmiſſos*, ἐκ παρασκευῆς καθιζομένους, quae poſtrema plane ſynonyma ſunt locutionis, qua uſus eſt Auctor Axiochi, Προέδρους ἐγκαθέτους. — Immo, neſcio jure an injuriâ, Aeſchines Orator adverſario Demoſtheni objecit, eum Πρύτανιν & Senatorem fuiſſe ἐγκάθετον, atque ἐκ παρασκευῆς pretio mercatum eſſe dignitatem. Nec mirum: Quid enim tunc Athenis non venale? In eâdem eſt Oratione c. Cteſiph. pag. 62. 30. Ἐνταῦθα εἰσέρχεται βουλευτὴς εἰς τὸ βουλευτήριον Δημοσθένης, οὔτε λαχὼν, οὔτε ἐπιλαχὼν, ἀλλ' ἐκ παρασκευῆς πριάμενος, ἵν' εἰς ὑποδοχὴν ἅπαντα καὶ λέγοι καὶ πράττοι Φιλοκράτει, ὡς αὐτὸ ἔδειξε τὸ ἔργον. — *Mox in Senatum inducitur Senator Demoſthenes, non per ſortitionem lectus aut per ſubſortitionem ſuffectus, ſed emtâ pretio ſede ex compoſito, ut Philocli ſuccidaneus omnia diceret faceretque, quemadmodum & eventus docuit.* — Quibus adeo exemplis ſatis conſtare arbitror, in illâ quoque *Diomedontis*, *Periclis*, & reliquorum Ducum cauſſâ, eandem artem pretio aut auctoritate ſubornandi, eundemque Legum contemtum, Socrati ac Collegis Proedros dediſſe ſucceſſores, Demagogis & furenti Populo promptius paratiusque obſecuturos.

§. XVI.

§. XVI. Atque haec quidem quum probabili argumento colligere nobis videmur ex iis, quae hactenus disputavimus, supereſt ut animadvertamus, quanto major Socrati noſtro laus debeatur veraeque ejus virtuti honos, qui unus plus valuit ad tuendas conſervandasque Leges Patriae quam univerſus Senatus & univerſa (ſi Euryptolemum, Axiochum, aliosque perpaucos excipiamus) Concio Populi Attici: Etenim non negavit tantum Populum in ſuffragia mittere, ſed effecit etiam, ne iſto die illa colligerentur, ſpatiumque dedit & locum novae defenſioni, eo eventu, ut, niſi neſaria ars fuiſſet Demagogorum in differendâ cauſſâ per falſum Meneclis Jusjurandum, Duces ſalvi evaſiſſent: Reſtitit tempeſtati populari non tantum, ſed reſtitit tam feliciter, ut, niſi tam funditus jam tum corrupta fuiſſet Respublica Attica, tam amens Populus, tam ſcelerati & perditi Rhetores, ſolus piaculum a Civitate avertiſſet, quo ſe, leves nimium & in horam mutabiles, obſtrinxerunt Athenienſes: Namque nemo eſt in univerſâ Antiquitate, qui condemnationem iſtam novem Ducum, ſuppliciumque, quod ſex ex illis ſubierunt inſontes, non deteſtetur & abominandum cenſeat, uno (quod noverim) excepto Oratore LYSIA: Is quippe ſic loquitur, quaſi atrocitatem ſceleris excuſare vellet aliquâ (neſcio qua) neceſſitate, ut virtuti eorum, qui ad Arginuſas pro Patriâ perierant, fieret ſatis, quaſi virtus mactanda eſſet, ut virtuti civitas placeret! Locus eſt in Orat. c. Eratoſth. pag. 204. ed. Tayl. Οὐκ ἂν δεινὸν, εἰ τοὺς μὲν στρατηγοὺς, οἳ ἐνίκων ναυμαχοῦντες, ὅτε διὰ χειμῶνα οὐχ οἷοί τ' ἔφασαν εἶναι τοὺς ἐκ τῆς θαλάττης ἀνελέσθαι, θανάτῳ ἐζημιώσατε, ἡγούμενοι χρῆναι τῇ τῶν τεθνεώτων ἀρετῇ παρ' ἐκείνων δίκην λαβεῖν. Non ea Socratis ſententia: Nihil ille (qui plurimorum mos eſt) temporibus dedit, nihil potentium pravitati aut vindictae, nihil praejudicatae civium opinioni, nihil inani gloriae aut aurae populari, nihil etiam ſuae ſecuritati ſuaeve ſaluti: Omnia egit conſtanter, juſte, ſapienter, graviter: Nam qui dicta Socratis apud PLATONEM in Gorgiâ Tomo I. pag. 474. A. ſe, cum in Senatum eſſet adlectus, ſuaeque Tribus Prytaniâ fungentis vice Populum deberet in ſuffragia mittere, neſciviſſe, quo pacto id ageret, atque ſic omnibus riſum movisſe, ἐπειδὴ ἡ φυλὴ ἐπρυτάνευε, καὶ ἔδει με ἐπιψηφίζειν, γέλωτα παρεῖχον, καὶ οὐκ ἠπιστάμην ἐπιψηφίζειν, — qui iſta igitur ut ſerio dicta aut ſcripta accipiat, is multum fallitur, & εἰρωνείαν Socraticam, quae ubique in Dialogis Platonicis exprimitur, ignorat.

Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα!



Pag. 33. in f. *Atque, uti ante Populo, ſic & cum Legibus Tyrannidi paucorum adverſatus eſt.*] Xenophontéa expreſſi Ἀπομν. Lib. IV. Cap. 4. §. 3. (pag. 468. 6.) ſupra jam partim deſcripta: Οὐκ ἐπέτρεψε τῷ δήμῳ παρὰ τοὺς νόμους ψηφίσασθαι, ἀλλὰ σὺν τοῖς νόμοις ἠναντιώθη τοιαύτῃ ὁρμῇ τοῦ δήμου, ἣν οὐκ ἂν οἶμαι ἄλλον οὐδένα ἄνθρωπον ὑπομεῖναι· καὶ ὅτε οἱ Τριάκοντα προσέταττον αὐτῷ παρὰ τοὺς νόμους τι, οὐκ ἐπείθετο. — *Populo ſuffragationem contra Leges non conceſſit ſed cum Legibus tantum ſuſtinuit, multitudini adverſatus, popularem impetum, quantum haud exiſtimo alium quempiam hominum ſuſtinuiſſe: Et, cum Triginta Tyranni eum quid juberent contra Leges, juſſis eorum non obtemperavit.* Senecae quoque paulo ante reſpexi locum ſcribentis, *Socratem inter triginta dominos liberum inceſſiſſe:* Eſt de Tranquill. animi Cap. 3. pag. 352. ed. Gronov. *Nunquid potes invenire urbem miſeriorem, quam Athenienſium fuit, cum illam Triginta Tyranni divellerent? mille trecentos cives, optimum quemque, occiderant: Nec finem ideo faciebat, ſed irritabat ſe ipſa ſaevitia. In qua Civitate erat Ariopagos, religioſiſſimum judicium, in qua Senatus Populusque Senatui ſimilis: Coibat quotidie carnificum triſte Collegium, & infelix curia Tyrannis anguſta. Poteratne illa Civitas conquieſcere, in qua tot Tyranni erant, quot ſatellites eſſent? Ne ſpes quidem ulla recipiendae libertatis animis poterat offerri: Nec ulli remedio locus apparebat contra tantam vim malorum. Unde enim miſerae Civitati tot Harmodios? Socrates tamen in medio erat, & lugentes Patres conſolabatur, & deſperantes de Rep. exhortabatur, & divitibus opes ſuas metuentibus exprobrabat ſeram periculoſae avaritiae poenitentiam; & imitari volentibus magnum circumferebat exemplar, cum inter triginta dominos liber incederet. Hunc tamen Athenae ipſae in carcere occiderunt; & qui tuto inſultaverat agmini Tyrannorum, ejus libertatem libertas non tulit; ut ſcias & in adflictâ Rep. eſſe occaſionem ſapienti viro ad ſe proferendum, & in florenti ac beatâ, pecuniam, invidiam, mille alia vitia inermia regnare.*

Pag. 34. *Timoris expers, pedem, quod merito in eo laudat* Cicero, *portâ non extulit.*] Ad Atticum Lib. VIII. Ep. 2. *Sed cur? Poteriſne igitur videre Tyrannum? quaſi interſit, audiam an videam? aut locupletior mihi ſit quaerendus auctor quam Socrates, qui cum XXX. Tyranni eſſent, pedem portâ non extulit.*

Ibid. *Cumque initium feciſſent a condemnatione & capitali eorum poenâ* &c.] Auctorem habemus Xenophontem in Hellenicis Lib. II. pag. 271. 20. ed. Steph. Ἔπειτα πρῶτον μὲν οὓς πάντες ᾔδεσαν ἐν τῇ δημοκρατίᾳ

ἀπὸ

ἀπὸ συκοφαντίας ζῶντας, καὶ τοῖς καλοῖς καὶ ἀγαθοῖς βαρεῖς ὄντας, συλλαμβάνοντες ὑπῆγον θανάτου· καὶ ἥτε βουλὴ ἡδέως αὐτῶν κατεψηφίζετο· οἵτε ἄλλοι ὅσοι ξυνῄδεσαν ἑαυτοῖς μὴ ὄντες τοιοῦτοι, οὐδὲν ἤχθοντο. DIOD. SIC. Lib. XIV. Cap. 4. Καὶ τὸ μὲν πρῶτον παραδιδόντες κρίσει τοὺς πονηροτάτους τῶν ἐν τῇ πόλει, κατεδίκαζον θανάτῳ· καὶ μέχρι τούτου τοῖς ἐπιεικεστάτοις τῶν πολιτῶν εὐαρεστεῖ τὰ γινόμενα, ubi vid. WESSELING. Conf. LYSIAM *c. Eratofth.* pag. 192. ed. Tayl. Hoc exemplo callide ufus apud SALLUST. Bell. Cat. Cap. 51. Julius Caefar, ut demonftret, quam periculofa fint juftae etiam faevitiae in difcordiis civilibus initia, " quando omnia mala exempla ex rebus domefticis orta funt; " fed, ubi imperium ad ignaros aut minus bonos pervenit, novum illud " exemplum ab dignis & idoneis ad indignos & non idoneos transfer- " tur;" *Lacedaemonii*, inquit, *devictis Athenienfibus, Triginta-Viros impofuerunt, qui Remp. eorum tractarent. Ii primo coeperunt peffimum quemque & omnibus invifum indemnatum necare: Ea Populus laetari, & merito dicere fieri. Poft, ubi paulatim licentia crevit, juxta bonos & malos lubidinofe interficere, caeteros metu terrere. Ita Civitas, fervitute oppreffa, ftultae laetitiae graves poenas dedit.*

Ibid. in f. *Ita ut brevi octo menfium fpatio — mille quingentos Cives ab iis — ad mortem traditos,* ISOCRATES *aliique teftentur*] ISOCRATES aliquoties faevae hujus Tyrannidis meminit: E. gr. in Orat. Areopag. pag. 153. ed. Steph. Οἱ μὲν γὰρ (Τριάκοντα,) ψηφίσματι παραλαβόντες τὴν πόλιν, πεντακοσίους μὲν καὶ χιλίους τῶν πολιτῶν ἀκρίτους ἀπέκτειναν, εἰς δὲ τὸν Πειραιᾶ φεύγειν πλείονας ἢ πεντακισχιλίους ἠνάγκασαν. Alius locus eft in Orat. c. Lochitem pag. 397. D. ubi de hominibus fuperbe erga alios contumeliofis: Αὗται γάρ εἰσιν αἱ φύσεις, αἱ παραδοῦσαι μὲν τὴν δύναμιν τοῖς πολεμίοις, κατασκάψασαι δὲ τὰ τείχη τῆς πατρίδος, πεντακοσίους δὲ καὶ χιλίους ἀκρίτως ἀποκτείνασαι τῶν πολιτῶν. — AESCHINES π. τ. παραπ. pag. 38. 13. ed. Steph. Τελευτῶντες δὲ εἰς τοῦτο τὴν πόλιν προήγαγον, ὥστε ἀγαπητῶς τὴν εἰρήνην ποιήσασθαι, ἀποστάντας πάντων, καὶ τὰ τείχη καθελόντας, καὶ παραδεξαμένους φρουρὰν, καὶ Λακεδαιμονίων ἁρμοστὴν, καὶ τῆς Δημοκρατίας τοῖς Τριάκοντα ἀφεμένους, οἳ χιλίους καὶ πεντακοσίους τῶν πολιτῶν ἀκρίτως ἀπέκτειναν. — *Tandem vero eo adduxerunt Civitatem, ut Paci faciundae libenter acquiefceret, omnibus cedens rebus, moenia diruens, praefidium in Urbem Moderatoremque Spartanum admittens, Democratiae tandem jura Triginta-Viris relinquens, qui mille & quingentos Cives, indictâ cauffâ, occiderunt.* Quam multus in hifce LYSIAS, quam verax in depingendâ iftâ Tyrannide XENOPHON, novit quicunque in noftris Litteris non eft plane hofpes: Atque adeo haec *Hellenicorum* pars, petita ex Lib. II. pag.

271. 16. ſeqq. merito digna eſt viſa WYTTENBACHIO Viro Clar. quam *Eclogis* ſuis *Hiſtoricis* adjungeret, pag. 201. ſeqq. Conf. DIOD. SIC. Lib. XIV. Capp. 4. & 32. WESSELINGIUM ad priorem locum, praeſertim Io. TAYLORUM in vitâ Lyſiae pag. 45. ſeqq.

Pag. 35. *Nec ſibi temperare, quin aliquando hiſce in eos verbis inveheretur.*] In hac parte enarrandâ ipſis fere verbis expreſſi XENOPH. Ἀπομν. Lib. I. Cap. 2. §. 32. (pag. 417. 20. ed. Steph.) haec praeſertim: Ἐπεὶ γὰρ οἱ Τριάκοντα πολλοὺς μὲν τῶν πολιτῶν καὶ οὐ τοὺς χειρίστους ἀπέκτεινον, πολλοὺς δὲ προετρέποντο ἀδικεῖν, εἶπέ που ὁ Σωκράτης, ὅτι θαυμαστόν οἱ δοκεῖ εἶναι, εἴτις, γενόμενος βοῶν ἀγέλης νομεὺς καὶ τὰς βοῦς ἐλάττους τε καὶ χείρους ποιῶν, μὴ ὁμολογοίη κακὸς βουκόλος εἶναι· ἔτι δε θαυμαστότερον, εἴτις, προστάτης γενόμενος πόλεως καὶ ποιῶν τοὺς πολίτας ἐλάττους καὶ χείρους, μὴ αἰσχύνοιτο μηδ᾽ οἴοιτο κακὸς εἶναι προστάτης τῆς πόλεως. —— Haud defuerunt (ut fieri ſolet) qui viri, ab omni crudelitate & injuriâ alieni, indignatione adeo commoti, dicta, tanquam totidem crimina, ad Critiam ſociosque deferrent, ad quae itaque alludens Charicles: Ναὶ μὰ Δί᾽, ἔφη, καὶ τῶν βουκόλων γε (ἀπέχεσθαι δεήσει·) εἰ δὲ μή, φυλάττου, ὅπως μὴ καὶ σὺ ἐλάττους τὰς βοῦς ποιήσῃς. Huc reſpicit DIO CHRYSOST. Orat. XLIII. pag. 507. B. καὶ τοῖς τυράννοις ἄντικρυς ἐλοιδορεῖτο (Σωκράτης) λέγων, ὁμοίους εἶναι τοῖς πονηροῖς βουκόλοις, οἳ παραλαβόντες ἰσχυρὰς τὰς βόας καὶ πολλὰς, ὀλίγας καὶ ἀσθενεστέρας ποιοῦσιν. —— Scilicet, frequentibus utebatur Socrates comparationibus, quas non ab arte tantum navali aut ab opificiis, vilioribus etiam, a coriariis, a fabris lignariis aut aerariis deſumebat, ſed inprimis a re ruſticâ & pecuariâ. Ubi de Pericle agit Socrates PLATONICUS in Gorgiâ pag. 516. A. qui vitiis Athenienſium indulgens, publicamque quotidie augens corruptelam, cives pro juſtis & temperantibus reddiderat petulantes ac malevolos, ὄνων γοῦν ἂν ἐπιμελητὴς (inquit) καὶ ἵππων καὶ βοῶν, τοιοῦτος ὢν, κακὸς ἂν ἐδόκει εἶναι, εἰ παραλαβὼν μὴ λακτίζοντας, μηδὲ κυρίττοντας, μηδὲ δάκνοντας, ἀπέδειξε ταῦτα ἅπαντα ποιοῦντας δι᾽ ἀγριότητα· ἢ οὐ δοκεῖ σοι κακὸς εἶναι ἐπιμελητὴς ὁστισοῦν ὁτουοῦν ζώου, ὃς ἂν παραλαβὼν ἡμερώτερα, ἀποδείξῃ ἀγριώτερα ἢ παρέλαβε; —— qui locus cum Xenophontéo omnino eſt comparandus.

Pag. 36. *Virum innocentiſſimum, cujus (ut olim Alcibiades) vel ſolum adſpectum revereri & formidare debuerat bipedum nequiſſimus.*] Plus uno loco auctor eſt PLUTARCHUS, qui inter alia de Alcibiade Socratis reverente, Vol. II. pag. 11. ed. Bryan. (Tom. I. Opp. pag. 194. B.) καὶ δραπετεύων ἀτεχνῶς ἐκυνηγεῖτο, πρὸς μόνον ἐκεῖνον ἔχων τὸ αἰδεῖσθαι καὶ τὸ φοβεῖσθαι, τῶν δ᾽ ἄλλων ὑπερορῶν. Ipſe Alcibiades apud PLATONEM in Conv. Tomo III. Opp. pag. 216. B. ἐγὼ δὲ τοῦτον μόνον αἰσχύνομαι. — καὶ πολλάκις μὲν ἡδέως ἂν

ἴδοι-

ἴδοιμι αὐτὸν μὴ ὄντα ἐν ἀνθρώποις. —— Sed iſtam primae juventutis verecundiam & inter vitia virtutemque medium pudorem non diu fuit quin prorſus pellerent abolerentque prava cupido, ambitio, & voluptas. Hinc iſta XENOPHONTÉA de Alcibiade & Critiâ, Ἀπομν. Lib. I. Cap. 2. §. 47. (pag. 418. 36. ed. Steph.) Ἐπεὶ τοίνυν τάχιστα τῶν πολιτευομένων ὑπέλαβον κρείττονες εἶναι, Σωκράτει μὲν οὐκ ἔτι προσῄεσαν (οὔτε γὰρ αὐτοῖς ἄλλως ἤρεσκεν· εἴτε προσέλθοιεν, ὑπὲρ ὧν ἡμάρτανον ἐλεγχόμενοι, ἤχθοντο) τὰ δὲ τῆς πόλεως ἔπραττον, ὧνπερ ἕνεκεν καὶ Σωκράτει προσῆλθον. —— Conf. AELIAN. Var. Hiſt. Lib. III. Cap. 28. Lib. IV. Cap. 15.

Pag. 37. *Si me, aiebat, Athenienſes, jamjam abſoluturi eſſetis, hac conditione poſitâ* &c.] Socratis, referente PLATONE, verba ſunt, in Apologiâ Tom. I. Opp. pag. 29. C. Ὥστε οὐδὲ εἴ με νῦν ὑμεῖς ἀφίετε (Ἀνύτῳ ἀπειθήσαντες κ. τ. λ.) — εἴ μοι πρὸς ταῦτα εἴποιτε, ὦ Σώκρατες, νῦν μὲν Ἀνύτῳ οὐ πεισόμεθα, ἀλλ' ἀφίεμέν σε· ἐπὶ τούτῳ μέντοι ἐφ' ᾧτε μηκέτι ἐν ταύτῃ τῇ ζητήσει διατρίβειν, μηδὲ φιλοσοφεῖν· ἐὰν δὲ ἁλῷς ἔτι τοῦτο πράττων, ἀποθανῇ. εἰ οὖν με, ὅπερ εἶπον, ἐπὶ τούτοις ἀφίοιτε, εἴποιμ' ἂν ὑμῖν. Ὅτι ἐγὼ ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἀσπάζομαι μὲν καὶ φιλῶ, πείσομαι δὲ τῷ θεῷ μᾶλλον ἢ ὑμῖν. καὶ ἕωσπερ ἂν ἐμπνέω καὶ οἷός τε ὦ, οὐ μὴ παύσωμαι φιλοσοφῶν κ. τ. λ. Conf. ib. pag. 37. E. XENOPH Ἀπομν. Lib. IV. Cap. 4. §. 3. τοῖς τε γὰρ νέοις ἀπαγορευόντων αὐτῶν μὴ διαλέγεσθαι κ. τ. λ.

Ibid. *Id brevi enatâ inter Critiam & Theramenem animorum disjunctione patuit.*] Vix alia eſt *Hellenicorum* XENOPHONTEORUM pars nobilior illâ, cujus hic ſummam expreſſimus, quamque adeo jure optimo inter *Eclogas* ſuas *Hiſtoricas* nuper retulit DAN. WYTTENBACH, Vir Clar. pag. 201. ſeqq. Exſtat ea Lib. II. pag. 271. ſeqq. ed. Steph. Conf. DIOD. SIC. Lib. XIV. Cap. 4. in quo Scriptore praeſidium aliquod habent, qui haud immerito *virum egregium* a CICER. Tuſc. Diſp. Lib. I. Cap. 40. Theramenem dictum exiſtimant: Et, quemadmodum vere ſcripſit Cl. WYTTENBACH. d. l. pag. 435. " quum tres in hac Athenarum „ converſione principes celebrantur Cives, diverſâ quidem famâ, optimâ „ Thraſybulus, peſſimâ Critias, mediâ fuiſſe Theramenem;" ita & nos, antequam *Eclogae Wyttenbachianae* ad noſtram notitiam perveniſſent, ſimiliter in Oratione dicebamus, " Theramenem dubium fuiſſe inter meliora, „ quae videbat probabatque, ac deteriora, quae pravâ ambitione in transverſum actus ſequebatur; quin, quum plura illius in Remp. exſtarent „ merita, illum, judicio Socratis, ne tunc quidem omnis virtutis fuiſſe „ exſortem; quin ſolum forte in Triginta-virorum Concilio, cui civium „ ſa-

„ salus foret cordi." Ac certe, si Diodoro Siculo fides, ipsi Lysandro adversatus, Theramenes existimabat, *Foederi standum esse, secundum quod non nisi Legibus Patriis Athenae uti debebant neque justâ & legitimâ libertate poterant privari:* ὅτι τῇ πατρίῳ συνεφώνησε χρῆσθαι πολιτείᾳ, καὶ δεινὸν εἶναι λέγοντος, εἰ παρὰ τοὺς ὅρκους ἀφαιρεθήσονται τὴν ἐλευθερίαν. Quare &, ut aequitate ac moderatione Theramenis violentia caeterorum Tyrannorum & injustitia temperarentur, eum in numerum Triginta-virorum a Populo fuisse relatum, idem scribit Diodorus. Pariter quae hoc eodem loco narrat Xenophon, non nisi in Theramenis laudem accipi possunt & commendationem, *iniquum* judicantis, *partem civium suffragio privari*, *cujus suffragii privilegio jus civitatis maxime censeatur.* —— Sed, uti ipsa Theramenis indoles ac sinceri pectoris fides dubiae maxime fuerunt & in utramvis partem ancipites, ita & quid inter diversa Scriptorum de illo judicia pronunciandum sit haud minus est incertum atque ambiguum: Nam, qui LYSIAM quidem, Orationem praesertim contra Eratosthenem, legerit (vid. pag. 210. 214. 215. seqq.) is pro adversario Tyrannidis Triginta-viralis, quem Diodorus Siculus fuisse dicit, eum reperiet, qui illius constituendae praecipuus auctor fuerit & suasor: Ὁ δὲ Θηραμένης ἐκέλευσεν ἡμᾶς τριάκοντα ἀνδράσιν ἐπιτρέψαι τὴν πόλιν, καὶ τῇ πολιτείᾳ χρῆσθαι, ἣν Δρακοντίδης ἀπέφαινεν. —— Sed enim Lysias in istâ forte Oratione *non omnes odii caussas procul habuit*, ut jure observat WESSELING. ad Diod. Sic. Tomo I. pag. 641. Neque mirum valde est, tam diverse de eodem viro sensisse Scriptores, cujus varii mores, varia consilia, *Cothurni* cognomen ipsi meruerint: Nemo autem verius de illo judicasse videtur quam Xenophon, nec inimicitias dissimulans, quas crudelitatis & avaritiae odio cum Critiâ contraxit, neque improbitatem, qua ipse paucos ante annos Theramenes in necem innocentissimorum Ducum conjuraverat: Atque hoc quidem scelus apud me tantum est, ut, quicunque caeterum illius erga Remp. & Libertatem Patriae fuerit animus, ego eum pravâ ac perversâ fuisse naturâ mihi persuadeam: Et *Vindictae Divinae*, quae tarda quidem, certa tamen fere semper, talium facinorum est ultrix, vestigia in fato Theramenis perspicua agnosco & manifesta; quae & eruditus agnovit ARISTOPH. SCHOL. ad Ranas v. 546. in eximio Scholio, a SUIDA in Lexicon relato v. δεξιός. — τοιγάρτοι (inquit) τῆς τοῦ βίου προαιρέσεως ἐπαξίας τῆς τελευτῆς ἔτυχεν. ὑπὸ γὰρ αὐτῶν τῶν λ' ἀνῃρέθη, Κριτίου κρίναντος αὐτόν.

Pag. 39. *Solus cum duobus aliis, ne Therameni vis fieret, lictoribus se objecit Socrates.*] DIODORUM SICULUM secuti sumus Lib. XIV. Cap.

Cap. 5. Παρελθόντων δὲ τῶν ὑπηρετῶν, καὶ ἀποσπώντων αὐτὸν, ὁ μὲν Θηραμένης ἔφερε γενναίως τὴν ἀτυχίαν, ἅτε καὶ φιλοσοφίας ἐπὶ πλεῖον μετεσχηκὼς παρὰ Σωκράτει· τὸ δὲ λοιπὸν πλῆθος ἠλέει δυστυχοῦντα τὸν Θηραμένην, οὐ μὴν ἐτόλμα βοηθεῖν, περιεστώτων πολλῶν μετὰ ὅπλων. Σωκράτης δὲ ὁ φιλόσοφος καὶ δύο τῶν οἰκείων προσδραμόντες ἐνεχείρουν κωλύειν τοὺς ὑπηρέτας· ὁ δὲ Θηραμένης ἠξίου μηδὲν τούτων πράττειν· τὴν μὲν γὰρ φιλίαν καὶ τὴν ἀνδρείαν αὐτῶν ἐπαινεῖν ἔφησεν, ἑαυτῷ δὲ μεγίστην συμφορὰν ἔσεσθαι, εἰ τοῖς οὕτως διακειμένοις αἴτιος ἔσται θανάτου. οἱ δὲ περὶ τὸν Σωκράτην, τῶν μὲν ἄλλων οὐδένα βοηθὸν ἔχοντες, τὴν δὲ τῶν ὑπερεχόντων ἀνάστασιν ὁρῶντες αὐξανομένην, ἡσυχίαν ἔχον. —— Eadem propemodum quae Socrati Diodorus, Iſocrati tribuit Scriptor, quisquis fuerit, τῶν βίων τῶν δέκα Ῥητόρων, in vitâ Iſocratis pag. 836. F. ubi de illo Oratore, quem Theramenis diſcipulum dicit, οὗ (Θηραμένους) καὶ συλλαμβανομένου ὑπὸ τῶν Τριάκοντα, καὶ φυγόντος ἐπὶ τὴν βουλαίαν ἑστίαν, ἁπάντων ἐκπεπληγμένων, μόνος ἀνέστη βοηθήσων· Eadem quoque ibi eſt generoſa Theramenis deprecatio, mortem ſibi acerbiorem fore dicentis, ſi amicorum quisquam ſui cauſſâ aliquid triſtius experiretur. Igitur in eam quis incidat ſuspicionem, Iſocratis tum junioris audax fuiſſe facinus, non ad ſenectutem jam properantis Socratis: Et ejusmodi conjectura aliquem forte in eo inveniat colorem, quod Plato, Xenophon, reliquique, qui de rebus Socraticis ſcripſerunt, juniores etiam Diogenes Laertius, AElianus, ſimilesque, tam inſigne conſtantiae & fortitudinis Socraticae documentum non memoraverint. Verum expreſſa nimis Diodori ſunt verba, mentio praeſertim diſciplinae, quâ olim Theramenes fuerat uſus, φιλοσοφίας ἐπὶ πλεῖον μετεσχηκὼς Σωκράτει, — diſerte nimis omnia, inquam, ſcripta, quam ut illorum fidem ſuſpectam reddat vel Socraticorum ſilentium, vel Scriptoris auctoritas, cui haud magnam eſſe Taylorus & Ruhnkenius pluribus exemplis demonſtrarunt. Et ſunt apud Iſocratem, quae a defenſore Theramenis tam acri, tam fido, vix exſpectari queant, locus inter alios cujus ſupra partem deſcripſimus ex Orat. c. Lochitem pag. 397. D. Idcirco factum Socrati tribuere non dubitavi, quod & fecerunt MEURS. Att. Lect. Lib. V. Cap. 14. HINDENBURG. in Animadv. ad Mem. Socr. pag. 179.

Pag. 39. in f. *Verum, qui ejusmodi Tyrannis mos eſt, operam dabant, ut quam plurimos iisdem facinoribus implicarent* &c.] Ipſe Socrates id in Apologiâ PLATONICÂ teſtatur iis verbis, quae in ipſâ Oratione Latine retulimus. Vere igitur ISOCRATES in Exc. adv. Call. pag. 374. D. ed. Steph. Καίτοι πολλοὺς ἐπῆρεν ἡ τῶν Τριάκοντα πονηρία, τοιαῦτα ποιεῖν· οὐ γὰρ ὅτι τοὺς ἀδικοῦντας ἐκόλαζον, ἀλλ' ἐνίοις καὶ προσέταττον ἐξαμαρτάνειν. *Et multos ſane Triginta virorum improbitas ad talia ſcelera incitavit: Etenim non tantum illos, qui injurii*

erant & facinorum auctores, non coercebant; sed nonnullis scelera etiam imperabant, — ut scilicet tanto plurium interesset eam tueri Reip. formam, sub quâ commissa crimina perpetuo impunita manerent. — Adeo in rebus humanis, mutato nomine, mutatis scenae personis, eadem semper agitur fabula!

Pag. 40. *Socratis, referente* PLATONE, *sunt verba.*] In Apologiâ pag. 32. C. Καὶ ταῦτα μὲν ἦν ἔτι δημοκρατουμένης τῆς πόλεως· ἐπειδὴ δὲ ὀλιγαρχία ἐγένετο, οἱ Τριάκοντα αὖ μεταπεμψάμενοί με πέμπτον αὐτὸν εἰς τὴν Θόλον, προσέταξαν ἀγαγεῖν ἐκ Σαλαμῖνος Λέοντα τὸν Σαλαμίνιον, ἵνα ἀποθάνοι· οἷα δὴ καὶ ἄλλοις ἐκεῖνοι πολλοῖς πολλὰ προσέταττον, βουλόμενοι ὡς πλείστους ἀναπλῆσαι αἰτιῶν. τότε μέντοι ἐγὼ οὐ λόγῳ ἀλλ' ἔργῳ αὖ ἐνεδειξάμην, ὅτι ἐμοὶ μὲν θανάτου μέλει (εἰ μὴ ἀγροικότερον ἦν εἰπεῖν) οὐδ' ὁτιοῦν. τοῦ δὲ μηδὲν ἄδικον μηδ' ἀνόσιον ἐργάζεσθαι, τούτου δὲ τὸ πᾶν μέλει. ἐμὲ γὰρ ἐκείνη ἡ ἀρχὴ οὐκ ἐξέπληξεν οὕτως, ἰσχυρὰ οὖσα, ὥστε ἄδικόν τι ἐργάσασθαι. ἀλλ' ἐπειδὴ ἐκ τῆς Θόλου ἐξήλθομεν, οἱ μὲν τέτταρες ᾤχοντο εἰς Σαλαμῖνα, καὶ ἤγαγον Λέοντα, ἐγὼ δὲ ᾠχόμην ἀπιὼν οἴκαδε. καὶ ἴσως ἂν διὰ ταῦτα ἀπέθανον, εἰ μὴ ἡ ἀρχὴ διὰ ταχέων κατελύθη. — Alter locus, quo ad hoc constantiae Socraticae documentum respicit PLATO, est in Epist. VII. ad Dionis Propinquos & Familiares Tomo III. Opp. pag. 325. c. ubi de iniquâ Viri optimi & sapientissimi condemnatione agens, οἱ δὲ κατεψηφίσαντο (inquit) καὶ ἀπέκτεινον τὸν τότε τῆς ἀνοσίου ἀγωγῆς οὐκ ἐθελήσαντα μετασχεῖν περὶ ἕνα τῶν τότε φευγόντων φίλων, ὅτε φεύγοντες ἐδυστύχουν αὐτοί. —— Leontis Salaminii nomen reticet XENOPH. Ἀπομν. Lib. IV. Cap. 4. §. 3. (pag. 468. 7. ed. Steph.) Καὶ ὅτε οἱ Τριάκοντα προσέταττον αὐτῷ παρὰ τοὺς νόμους τι, οὐκ ἐπείθετο. τοῖς τε γὰρ νέοις ἀπαγορευόντων αὐτῶν μὴ διαλέγεσθαι, καὶ προσταξάντων ἐκείνῳ τε καὶ ἄλλοις τισὶ τῶν πολιτῶν ἀγαγεῖν τινὰ ἐπὶ θανάτῳ, μόνος οὐκ ἐπείσθη, διὰ τὸ παρὰ τοὺς νόμους αὐτῷ προστάττεσθαι. —— Sed, Theramenis contra Critiam Orationem referens Ἑλλ. Lib. II. pag. 274. 8. istam Leontis Salaminii caedem inter scelera numerat Triginta-virorum, quae certissimam omnibus Atheniensibus perniciem minabantur, Leonta vero ipsum virum dicit bonum, nemini gravem, & innocentissimum: Ἤιδειν γὰρ, ὅτι ἀποθνήσκοντος μὲν Λέοντος τοῦ Σαλαμινίου, ἀνδρὸς καὶ ὄντος καὶ δοκοῦντος ἱκανοῦ εἶναι, ἀδικοῦντος δ' οὐδὲ ἕν, οἱ ὅμοιοι τούτῳ φοβήσοιντο κ. τ. λ. Nullum autem Civi optimo crimen, nullam adeo mortis caussam fuisse, nisi divitias, idoneus auctor est, cui EPISTOLAS SOCRATICAS debemus, Ep. VII. pag. 20. Atque is talia addit praeterea, quae, quum nusquam alibi reperiantur, germanamque tamen habeant veri speciem, Scriptorem testantur Historiae Atticae istius temporis rerumque Atticarum peritissimum: Nam, quae de Charicle narrat, optime conveniunt cum indole & ingenio hominis, qualem XENOPHON depingit Ἀπομν. Lib. I. Cap. 2. §. 35. seqq. tum etiam haec cum Isocrate & Platone consentiunt: Καὶ ἐμοῦ ἀπολογουμένου,

ὀέναι με ἐκέλευον εἰς Πειραιᾶ, καὶ Λέοντα συλλαμβάνειν. ἦν δὲ γνώμη αὐτῶν, ἐκεῖνον μὲν ἀποκτείνειαι, καὶ τὰ χρήματα αὐτὸς ἔχειν, ἐμὲ δὲ κοινωνὸν ποιεῖσθαι τοῦ ἀδικήματος. Divitias Leontis pariter memorat DIOG. LAERTIUS Lib. II. §. 24. ubi dicitur Socrates μὴ εἶξαι τοῖς περὶ Κριτίαν, κελεύουσι Λέοντα τὸν Σαλαμίνιον, πλούσιον ἄνδρα, ἀγαγεῖν πρὸς αὐτοὺς, ὥστε ἀπολέσθαι. —— Caeterum vix ulla eſt inter res Socraticas notior aut magis celebrata quam iſta negantis ſe Salamina profecturum, ad abducendum Leonta, Socratis fortitudo & conſtantia; neque recentiorum fere quisquam eſt Philoſophorum aut Rhetorum, qui ejus non meminerit, MARCUS ANTON. de Reb. ſuis Lib. V. §. 66. ARRIANUS Diſſ. Epict. Lib. III. Cap. 1. pag. 573. Lib. IV. Cap. 7. pag 628. ed. Upton. DION. CHRYSOST. Orat. XLIII. pag. 507. B. THEMISTII locum Orat. XX. pag. 239. A. ſupra deſcripſimus. Conf. MEURS. Att. Lect. Lib. V. Cap. 14. LEON. ALLAT. ad Epiſt. Socr. pag. 165. JAC. PERIZ. ad AEl. Var. Hiſt. Lib. III. Cap. 17. Notâ 13. TH. GATAK. ad Marc. Anton. l. laud. HINDENB. in Animadv. ad Mem. Socr. pag. 179.

Pag. 41. *Quis ad ſervitutem tam nefarie promtus? Melitus, Auditores!*] Novimus id indicio ANDOCIDIS de Myſt. pag. 12. 34. ed. Steph. Μέλιτος δ' αὖ οὑτοσὶ ἀπήγαγεν ἐπὶ τῶν Τριάκοντα Λέοντα, ὡς ὑμεῖς ἅπαντες ἴστε, καὶ ἀπέθανεν ἐκεῖνος ἄκριτος. Quod non fugiſſe poſtea vidi Cl. D. WYTTENBACH in Annot. ad Eclogas Hiſt. pag. 403. —— Quis autem miretur, Melitum, qui injuſtiſſima etiam Tyrannorum mandata exſequi haud recuſaverat, qui Tyrannidis adeo turpiſſimus fuerat aſſecla & ſatelles, eundem fuiſſe, qui Socratem, virum ſanctiſſimum, quem coram ſe juſſa Tyrannorum, ſummo cum vitae periculo, ſpreviſſe noverat, —— qui virum, inquam, ſtudioſiſſimum verae Libertatis, quae ſine jure & legibus nulla eſt, tanquam Democratiae inimicum reum capitis poſtulaverit? — Talis ſcilicet eſt iſta *Melitorum* natio, nunc quoque ſuperſtes; & qui res quidem experiundo didicerit humanas, tacitus iterum ſecum: *Mutato nomine, eadem ſemper fabula.*

Ibid. *Anyto iſti, qui, dum inter vindices Libertatis ſtatoresque reſtitutae Reip. ſe cum Thraſybulo cenſeri gloriaretur*, &c. —] Ubi XENOPH. Hellen. Lib. II. pag. 274. 24. ed. Steph. Theramenis Orationem refert, Anytum inter illos cenſentis, qui Patriâ pelli non debuerant, (— οὐκ ἂν ἐδόκει μοι οὔτε Θρασύβουλον, οὔτε Ἄνυτον, οὔτε Ἀλκιβιάδην φυγαδεύειν· ᾔδειν γὰρ ὅτι οὕτω γε τὸ ἀντίπαλον ἰσχυρὸν ἔσοιτο, εἰ τῷ μὲν πλήθει ἡγεμόνες ἱκανοὶ προσγενήσοιντο) ad iſtum locum Cl. WYTTENBACH in Ecl. Hiſt. pag. 404. *forte* (inquit) *idem eſt, qui poſtea Socratis exſtitit accuſator:* Eundem revera eſſe, mihi quidem nullum eſt dubium, neque fuit BARTHELEMIO, cujus de Socrate diſputatio

inter eas est utilissimi & elegantis operis partes, quas meditatus & solide scripsit Vir, universae Antiquitatis Graecae peritissimus. De Accusatoribus Socratis agens *Itin. Anach.* Cap. LXVII. haec ait: " *Des richesses considérables, & des services signalés, rendus à l'Etat, plaçoient Anytus parmi les Citoyens, qui avoient le plus de crédit: Il remplit successivement les premières dignités de la République. Zélé Partisan de la Démocratie, persécuté par les 30 Tyrans, il fut un de ceux, qui contribuèrent le plus à leur expulsion & au rétablissement de la Liberté.*" Vera omnia! Verum etiam, quod inter tres Socratis accusatores duo, Anytus & Lycon, homines fuerint in Rep. potentes, qui tertio, Melito Poetâ, vindictae suae atque irarum ministro fuerint usi. " *Deux Accusateurs plus puissants que lui, Anytus & Lycon, le firent servir d'instrument à leur haine.*" Si quis dubitet, PLATONIS testimonio, quamquam id omisit Barthelemius, dicta confirmari possunt: Qui enim *potentes* huic sunt Anytus & Lyco, iidem δυναστεύοντες Platoni dicuntur, Epist. VII. Tomo III. pag. 325. κατὰ δέ τινα τύχην αὖ τὸν ἑταῖρον ἡμῶν Σωκράτη τοῦτον δυναστεύοντές τινες εἰσάγουσιν εἰς δικαστήριον, ἀνοσιωτάτην αἰτίαν ἐπιβάλλοντες, καὶ πάντων ἥκιστα Σωκράτει προσήκουσαν. —— Igitur idem ille Anytus, qui exulum Atheniensium ad Phylen dux memoratur a LYSIA contra Agoratum pag. 261. quique ab eodem tanquam Magistratus ad testimonium citatur contra Dardanarios (κατὰ τῶν σιτοπώλων) pag. 389. — idem ille est, quem turpissima Socratis accusatio ad seram Posteritatem infamavit. Nam, quod cum Thrasybulo & Alcibiade, viris illustribus, eum conjungat Xenophonteus Theramenes, id nemo, in rebus Atticis parumper versatus, mirabitur: Conjunxit etiam ISOCRATES in Exc. adv. Callim. pag. 375. Καὶ μὴν οὐδὲ τάδε αὐτὸν λέληθεν, ὅτι Θρασύβουλος καὶ Ἄνυτος μέγιστον μὲν δυνάμενοι τῶν ἐν τῇ πόλει, πολλῶν δὲ ἀπεστερημένοι χρημάτων, εἰδότες δὲ τοὺς ἀπογράψαντας, ὅμως οὐ τολμῶσιν αὐτοῖς δίκας λαγχάνειν, οὐδὲ μνησικακεῖν, ἀλλ' εἰ καὶ περὶ τῶν ἄλλων μᾶλλον ἑτέρων δύνανται διαπράττεσθαι· ἀλλ' οὖν περί γε τῶν ἐν ταῖς συνθήκαις, ἴσον ἔχειν τοῖς ἄλλοις ἀξιοῦσι. *Neque vero hoc eum fugit, Thrasybulum & Anytum, qui omnium maxime potentiâ valent in civitate, magnam etiam (sub Tyrannis) rerum suarum fecerunt jacturam, quamvis earum noverint Quadruplatores, tamen non audere eos in jus vocare aut injuriarum meminisse: Namque, etiamsi caeteris in rebus plus efficere & impetrare possint quam reliqui Cives, acquiescunt tamen pactis, sibique aequo jure cum aliis vivendum censent.* Fateor, Anytus inter cives fuit Libertatis amantissimos, inter strenuos fortesque Tyrannidis adversarios, & post reditum cum exulibus inter audaces fortunatosque Triginta-virorum oppugnatores; in Civitate fuit potens, dives, popularis, vir denique tum temporis primarius. — Sed quid postea? An ideo minus homo fuit nequam, sordidus, vir-

tutis contemtor, in iram pronus, vindictae cupidus, animum denique habens coriis, in quibus subigendis opificium ipsi erat, foetore & ignobili duritie similem? Πῶς ἂν οὖν, ὦ Ξενοφῶν, τὴν μιαρίαν τοῦ βυρσοδέψου Ἀνύτου γράφοιμι, καὶ τὸ θράσος αὐτοῦ; Auctor ait Ep. 7. inter Epist. Socr. pag. 30. Et certe tota haec Epistola, quae Scriptorem prodit in Historiâ illius temporis versatissimum, de Anyto legi meretur. — Tyrannos cum Thrasybulo debellavit ὁ βυρσοδέψης, & celebratissimae ἀμνηστίας fuit auctor. Quid tum? Quis nostrûm ignorat, inter Tyrannorum osores, proh! saepe nimis! reperiri, qui Tyrannis ipsi nihilo sint meliores? — reperiri, in quorum pectore iste popularis Libertatis, quem prae se ferunt, amor nihil sit nisi mera bilis & insita naturae acerbitas? — Et de ἀμνηστίᾳ quidem istâ, cujus observandae auctores Thrasybulum & Anytum Isocrates laudat, multa dici possent ab hoc loco alieniora: Quantumvis enim illorum aliorumque exulum moderationem post reditum, atque aequitatem, praedicent tum alii, tum Plato Tomo III. pag. 325. B. (πολλῇ γε ἐχρήσαντο οἱ τότε κατελθόντες ἐπιεικείᾳ) fallax tamen fuit; & quam brevi illa duraverit injuriarum oblivio, vel solae demonstrant Lysiae Orationes contra Eratosthenem, contra Agoratum, pro Mantitheo, pro Polystrato, aliaeque. — Cum Thrasybulo ab exilio ad Expeditionem, Phyles occupandae caussâ susceptam, redierunt Andocides & Callixenus: Et quis hos Oratores cives dicat bonos, viros probos, honestos, famae integros? — Qui Callixeno finis fuerit, scelerato calumniatore dignus, testatur Xenophon. — Et quid demum de ipso judicandum Thrasybulo, qui, si minus ipse necis auctor, insontes necari sex Duces passus tamen est tacitus & lubens? — Sed de istâ re jam satis dictum supra. Cum Anyto nobis res est; cum Anyto illo, qui falsâ accusatione, sub specie tuendae Democratiae, suas, quas existimabat, injurias ultus est, suis iris contra Virum sanctissimum frena laxavit. Insignem e Platonis Menone locum (in quo Dialogo una interloquentium persona noster est Anytus,) Tom. II. Opp. pag. 94. E. laudavit Barthelemius: Eandem illam potentiam, qua postea in perniciem viri optimi usus est, ibi jactat, minaturque, se (quod Athenis ipse aiebat sibi facillimum) illâ aliquando usurum, ut Socratem dictorum poeniteret. Scriptorem vero *Anacharsidos* fugit altera simultatis & odii caussa, quibus Philosophum persequebatur Coriarius, Civitatis princeps; — *spretus, quo Alcibiadem olim deperierat, amor.* — Miror id nemini eorum qui de rebus Socraticis scripserunt (quantum quidem noverim,) fuisse observatum. Auctor nobis est Plutarchus *in Vitâ Alcib.* Vol. II. pag. 9. ed. Bryan. (Tomo. I. pag. 193. D.) quem locum si quis contulerit cum Athenaeo Lib. XII. pag. 534. E. de libidine hominis spurcissimi foedoque amore locupletes habebit testes, neque dubitabit, eundem fuisse & Any-

 tum

tum Coriarium, Thrafybuli atque Alcibiadis focium & fodalem, & Demagogum ferociffimum, Socratis Accufatorem. — Sed de ifto argumento plura hîc non addemus, latius id & pro dignitate tractaturi in Sermone, qui jam nobis eft prae manibus, quemque aliquando (fi Deus vitam & otium dederit) *Lectionibus* noftris *Atticis* comitem jungemus *de Calumniatoribus Socratis*; in quo Sermone quae fuerit calumniandi Athenis licentia, quae ad iftam licentiam vis & ratio effrenatae Democratiae, qui qualesque Socratis accufatores, quae illorum artes, qui focii, qui adjutores, veriffimis, quantum potis erimus, coloribus depingemus.

Pag. 41. *Alcibiadem Critiamque a fe corruptos Athenis impofuiffet.*] Vetus & confueta erga Praeceptorem eft accufatio, fi difcipulum habuerit, hominem deinceps nequam & fceleftum. Vid. ATHENAEUM Lib. V. pag. 220. Et de Critiâ quidem atque Alcibiade fupra pag. 88. obfervabamus, illorum improbitatem ipfi improbitati argumentum fuiffe calumniae in Socratem. Multus in illâ diluendâ eft XENOPHON Ἀπομν. Lib. I. Cap. 2. §. 12. Critias illi dicitur in *Oligarchiâ* omnium cupidiffimus fuisfe habendi atque dominandi, idemque maxime violentus & injuftus; Alcibiades in *Democratiâ* omnium impotentiffimus, petulantiffimus, & maxime injurius. Tam perverfam fuiffe utrique naturam fub formâ Reip. contrariâ, — vel fola haec ratio probabat, neque alterum Tyrannum ferocem, neque alterum Demagogum protervum, varium, & levem a Praeceptore fuiffe effictum. Conf. PLATONEM in Conv. Tomo III. Opp. pag. 215. 216. ubi Alcibiades fatetur, fe, importuni monitoris impatientem, illius identidem mortem exoptare. Quo etiam modo cum Critiâ conjunctus Alcibiades optimo Magiftro illuferit, AELIANUS narrat Var. Hift. Lib. II. Cap. 13. Ἤδη δέ ποτε αὐτὸν ἐρεσχελῶν Ἀλκιβιάδης ὁ Κλεινίου, ἢ Κριτίας ὁ Καλλαίσχρου, καὶ κωμῳδῶν ἀκοῦσαι, παρελθόντα εἰς τὸ θέατρον, ἐξεβιάσαντο. —— Vid. Itin. Anach. d. l. §. *Socrate, toujours attentif* &c.

Pag. 42. *Oftendendum, quid obrepens fenfim fenfimque valeat — calumniae virus.*] Quae huc pertinent, uno (ut aiunt) verbo exponi nequeunt. Sermonem *de Calumniatoribus Socratis* meditamur quotidie; &, quod hic πάρεργον effet, illic ut ἔργον pro dignitate materiae elaborari poterit. Igitur, quando hac jam vice de Socrate actum eft fatis, tu, amice Lector,

—— τοσήμερον ἴσχεο κομμῶν·
Δεῖ σε πάλιν κλαῦσαι, πάλιν εἰς ἕτερον ἄλλο δακρῦσαι.



AR-

ARGUMENTUM DISQUISITIONIS

DE EPISTATIS *ac* PROEDRIS ATHENIENSIUM & DE SOCRATE EPISTATA.

§. I. Senatus Quadringentorum, *deinceps* Quingentorum: *Tribus* πρυτανεύουσα. Quinquaginta Πρυτάνεις. Decem *ex illis* Πρόεδροι, *ex his* Ἐπιστάτης. *Alii* novem Πρόεδροι non-Prytanes, *atque ex his iterum* Ἐπιστάτης. §. II. CORSINI *ſententia de poſtremis his* Novem-viris, *Concionem moderantibus.* BIAGII *opinio de iisdem ad Senatum referentibus.* §. III. *Grammaticorum loca de duplici* Epiſtatâ, *ac duplici* Proedrorum *numero.* §. IV. HARPOCRATIONIS *corruptus locus ex* Lexico Rhetorico *MS. emendatus.* §. V. BIAGIUS *refellitur. Gemini* Libri Curiales *aut* Tabulae Civium publicae *Athenis.* §. VI. CORSINI *ſententia refellitur. Antiquorum teſtimonia de* Prytanibus *ac* Proedris, *Concionem Populi moderantibus. Locus* DEMOSTHENIS *expoſitus.* §. VII. Προβούλευμα, *Senatus Conſultum vel Auctoritas. Phraſes* εἰπεῖν γνώμην, προβουλεύειν, χρηματίζειν, λόγον προτιθέναι, προθεῖναι λέγειν, γνώμην ἀποφήνασθαι, γνώμας προτιθέναι, προθεῖναι *vel* προγράφειν ἐκκλησίαν, ἐπερέσθαι *vel* ἐπερωτᾷν τὸν δῆμον, ἐπερέσθαι τὴν γνώμην, ἐπιχειροτονίαν δοῦναι, ἐπιψηφίζειν, κ. τ. λ. §. VIII. Epiſtatae *cum* Octo-viris non-Prytanibus *officia diverſa fuerunt a partibus* Epiſtatae *cum* Novem-viris Prytanibus. *Illorum praecipue fuit praeſidere* τῇ δίκῃ *ſeu Judicio publico.* §. IX. Εἰσαγγελία, *Judicii publici ſpecies. Illam ad Populum inducebant* οἱ Πρυτάνεις. §. X. POLLUCIS *locus tentatus. Calumniae in recentiori Democratiâ Atticâ favor.* Demetrius Phaléreus *non fuit Legislator Athenienſium, ſed Auctor Commentarii*

rii

rii de Athenienſium Legibus. *Heliaſtarum Collegium. Qui in Judiciis Atticis* Εἰσαγωγεῖς. §. XI. AEschines (*qui dicitur*) Socraticus *ex conjecturâ* Hemſterhuſii *tentatus.* Δέκα στρατηγοὶ *univerſe dicuntur, quamvis octo aut novem tantum fuerint accuſati, ſex perierint.* §. XII. Axiochi *locus uberius illuſtratur, & contra Virum Doctum vindicatur. Tota Accuſationis ratio, Theramenis & caeterorum calumniatorum artes, Socratis conſtantia exponuntur.* §. XIII. *Exitus rei ex* Xenophonte & AEschine Socratico *demonſtratus.* §. XIV. Ὑπωμοσίαι *quid fuerint in Foro Attico; quid in Concione Populi.* Γραφὴ παρανόμων. Πρόεδροι ἐγκάθετοι. Ὑφιέναι, καθιέναι, ἐγκαθιέναι, ἐγκαταθέσθαι. §. XV. *Recentiori aetate, atque immoderatâ ſub Democratiâ, aere, pretio, malis artibus,* ex compoſito, *pro lectis per ſortem, ſubornati* Proedri & Prytanes *conſtituebantur.* §. XVI. *Socratis in toto hoc negotio vera laus & gloria.*



ERRATA *inſigniora, quae noſtram diligentiam effugerunt.*

Pag. 33. initio *Senates* lege *Senatus.*

—— 62. l. 20. *quibus Remp.* lege *quibus ad Remp.*

